

2. 6. 185

NOUVEAUX OUVRAGES

DE MONSIEUR

L' ABBÉ BOSCOVICH

APPARTENANTS PRINCIPALEMENT

A' L' OPTIQUE, ET A' L' ASTRONOMIE

EN CINQ VOLUMES

DÉDIÉS

AU ROI.

TOME CINQUIÈME.

A' BASSAN MDCCLXXXV.

& se vendent

A' VENISE, CHEZ REMONDINI.

Avec Approbation, & Privilége.

ROGERII JOSEPHI

BOSCOVICH

OPERA PERTINENTIA

AD OPTICAM, ET ASTRONOMIAM

Maxima ex parte nova, & omnia hucusque inedita,

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA

LUDOVICO XVI.

GALLIARUM REGI POTENTISSIMO DICATA.

TOMUS QUINTUS.

BASSANI. MDCCLXXXV.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

INDEX

OPUSCULORUM, PARAGRAPHORUM &c.

Quæ in hoc quinto Tomo continentur.

OPUSCULUM I.

De apparitione, & disparitione annuli Saturni. Pag. 1

PROBL. I. *Dato radio circuli, & ratione diametri ad circumferentiam construere lineam sinuum* (*). 2

PROBL. II. *Invenire occursum puncti uniformiter progredientis in diametro circuli eum ordinata ejusdem diametri ducta per punctum uniformiter progrediens in ejusdem circuli circumferentia ex data ratione velocitatum, & dato loco secundi puncti pro eo momento temporis, quo primum punctum appellit ad centrum.* 14

PROBL. III. *Evolvere ope curvæ sinuum casus præcipuos.* 32

PROBL. IV. *Exhibere numerum, & qualitatem occursuum puncti primi cum ordinata secundi, qui haberi debeant, pro omni diverso genere casuum.* 39

PROBL. V. *Determinare effectum crassitudinis annuli, si qua habeatur.* 45

PROBL. VI. *Corrigere errorem ortum ab æqualitate motus minus accurata.* 49

PROBL. VII. *Applicare theoriam propositam ad phænomena annuli observanda e terra.* 52

PROBL. VIII. *Determinare per observationes locum nodi annuli in ecliptica.* 64

APPENDIX. 70

DE SUBNORMALI LINEÆ SINUUM. ibid.

DE CIRCULO OSCULATORE EJUSDEM CURVÆ. 71

DE QUADRATURA CURVÆ SINUUM. 73

OPUSC. II. *Sur les élémens de la rotation du soleil sur son axe déterminés par l'observation de ses taches.* 75

PRÉFACE. ibid.

§. I. *Observations d'une tache du soleil faites à Noslon près de Sens, chez S. E. M.gr le Cardinal de Luynes au mois de 7.bre 1777.* 85

§. II. *Méthode pour en tirer la position géocentrique de la tache.* 89

§. III. *Réduction de la position géocentrique à l'héliocentrique.* 96

§. IV.

(*) In corollariis, & scholiis hujus problematis habentur multæ proprietates lineæ sinuum: in postremo scholio indicatur applicatio earundem proprietatum ad phænomena annuli Saturni.

§. IV. *Methode pour trouver les intersections de l'équateur solaire sur son écliptique.* 100
§. V. *Méthode pour déterminer l'inclinaison de l'équateur solaire à l'écliptique.* 104
§. VI. *Méthode pour trouver le temps de la révolution avec une autre méthode pour en tirer le second élément.* 107
§. VII. *Méthode pour trouver les deux premiers éléments par trois positions quelconques de la même tache.* 112
§. VIII. *Réflexions sur quelques suppositions, qu'on a fait dans les paragraphes précédents.* 119
§. IX. *Application des nombres aux formules proposées relativement aux observations du §. I. pour la position géocentrique, & héliocentrique de la tache.* 125
§. X. *Application du calcul numérique pour trouver la position du nœud.* 132
§. XI. *Application du calcul numérique pour trouver l'inclinaison de l'équateur.* 138
§. XII. *Application du calcul numérique pour trouver le temps périodique & synodique.* 141
§. XIII. *Application du calcul numérique pour trouver les deux premiers éléments par trois positions.* 145
§. XIV. *Réflexions sur les derniers résultats comparés avec les précédents & d'autres, & sur quelque phénomènes, qui en dérivent.* 150
APPENDICE *Journal des Observations de plusieurs taches du soleil faites à Noslon près de Sens chez S. E. M.gr le Cardinal de Luynes l'année 1777.* 170
OPUSC. III. *De determinatione longitudinis penduli oscillantis ad singula secunda temporis medii.* 179
§. I. *De materia massæ oscillantis.* 183
§. II. *De figura massæ oscillantis.* ibid.
§. III. *De magnitudine, & ejus mensura.* 184
§. IV. *De filo sustinente massam oscillantem.* 187
§. V. *De suspensione.* 191
§. VI. *De mensura distantiæ centri arcus oscillando descripti ab aliquo puncto dato ipsius massæ.* 196
§. VII. *De determinando numero oscillationum respondentium tempori longiori.* 202
§. VIII. *De determinando numero secundorum temporis medii, qui respondet eidem tempori.* 205

§. IX.

§. IX. *De determinanda magnitudine arcus descripti.* 213
§. X. *De restituendo motu.* ibid.
§. XI. *De determinanda aeceleratione primæ oscillationis post impulsum fatta per vim extraneam.* 215
§. XII. *De reductione oscillationum observatarum ad minimas.* 218
§. XIII. *Demostrationes nonnullæ huc reservatæ.* 221
§. XIV. *De determinatione centri oscillationis communis totius materiæ oscillantis.* 224
§. XV. *De determinatione longitudinis penduli simplicis oscillantis ad singula secunda temporis medii.* 232
§. XVI. *De effectu aeris, & ejus correctione.* 234
§. XVII. *De loco ad observationem instituendam idoneo.* 236
§. XVIII. *De harum observationum usu.* 240
§. XIX. *Additamentum de centro oscillationis.* 251
APPENDIX *Instructio practica.* 261
§. I. *De instrumentis præparandis.* ibid.
§. II. *De methodo observationis instituendæ.* 263
§. III. *Pro calculo distantiæ centri oscillationis a suspensione.* 265
§. IV. *Pro numero oscillationum ab uno appulsu fixæ ad sequentem.* 266
§. V. *Pro reductione ejus numeri ad numerum oscillationum minimarum.* 267
§. VI. *Pro numero secundorum temporis medii, quod respondet eidem tempori.* 268
§. VII. *Pro determinanda longitudine penduli simplicis oscillantis ad singula secunda temporis medii.* ibid.
§. VIII. *Pro correctione effectus aeris.* 269
OPUSC. IV. *Notice abrégée de l'Astronomie pour un Marin.* 270
PRÉFACE. ibid.
§. I. *Des astres & de leurs mouvements apparents.* 271
§. II. *De la sphère armillaire, & du globe céleste.* 280
§. III. *Des mouvements vrais des astres & de leurs causes physiques.* 299
§. IV. *Du rapport de l'Astronomie avec la Marine.* 308
§. V. *Des instruments.* 317
TABLE SOMMAIRE. 326
§. I. *Des astres & de leurs mouvemens apparents.* ibid.
§. II. *De la sphère armillaire & du globe céleste.* 328
§. III. *Des mouvements vrais des astres, & de leurs causes physiques.* 332
§. IV. *Du rapport de l'Astronomie avec la Marine.* 334
§. V. *Des instruments.* 336

OPU-

OPUSC. V. *Methodus determinandi accuratissime altitudinem poli ope gnomonis supplendo instrumenta ad id opportuna, ubi desint.* 338

OPUSC. VI. *Détermination du limbe éclairé de la lune qu'on doit attendre au méridien.* 363

OPUSC. VII. *Méthode pour employer le retour de Vénus à la même longitude par la rétrogradation pour la détermination des élémens moins certains de son orbite.* 372

OPUSC. VIII. *Méthode pour corriger les élémens d'une comète, dont on a la longitude du naud, & l'inclinaison de l'orbite par un à-peu près.* 383

OPUSC. IX. *Méthode analogue pour trouver l'orbite elliptique, quand la parabolique ne s'accorde assez avec les observations.* 388

OPUSC. X. *Méthode pour corriger les élémens d'une planète par trois observations.* 397

OPUSC. XI. *De orbita inclinata projectione in planum ecliptica.* 404

OPUSC. XII. *De orbita inclinata projectione in aliud planum.* 409

OPUSC. XIII. *De calculanda aberratione astrorum orta e propagatione luminis successiva,* 417

§. I. *De natura, & binis generibus ejus aberrationis.* ibid.

§. II. *De primo aberrationis genere orto ab inclinatione lineæ visualis ad directionem radii advenientis.* 421

§. III. *De secundo aberrationis genere orto e motu objecti respondente tempori, quo lumen ab ipso devenit ad oculum.* 428

§. IV. *De aberratione composita e præcedentibus binis simul conjunctis.* 430

OPUSC. XIV. *Démonstrations simples de quelques beaux théorèmes appartenants aux triangles.* 438

EXTRAIT

Du Tome V. 444

§. I. *Du premier Opuscule.* ibid.

§. II. *Du second Opuscule.* 456

§. III. *De l'Opuscule III.* 461

§. IV. *De l'Opuscule IV.* 468

§. V. *De l'Opuscule V.* 469

§. VI. *Des Opuscules VI, & VII.* 471

§. VII. *Des Opuscules VIII, IX, X.* 474

§. VIII. *Des quatre derniers Opuscules.* 481

Digitized by Google

OPUSCULUM I.

De disparitione, et apparitione annuli Saturni.

1. Problema, quo quæritur disparitio, & apparitio annuli Saturni cum determinatione numeri solutionum possibilium pro quovis casu particulari, quod sublimi, & elegantissima methodo analytica solvit summus Geometra *Dionysius Du-Sejour* (*), admittit solutionem linearem per con-

(*) Is quidem solutionem suam edidit Parisiis Opere egregio sub ipsam postremam horum phænomenorum epocham. Statim post ejus Operis editionem ego hanc perquisitionem institui methodo geometrica, & paullo post absolvi hoc Opusculum, in quo post constructionem admodum simplicem ope lineæ sinuum fusâ admodum pertractatione evolvi duplici modo casus omnes, non eos tantum, qui possint occurrere spectanti e terra habente eam velocitatem, quam ipsa habet in orbita sua quamproxime triplam velocitatis Saturni, sed qui haberentur, quæcumque esset ratio velocitatum. Ea eorum casuum evolutio non pertinet ad usus astronomicos, pro quibus solis Opusculum hoc evaderet multo brevius, sed ad geometricam contemplationem haud sane inutilem, &, ut omnino spero, non injucundam Geometriæ amatoribus. Multa ex iis omisi in alio Opusculo, quod de hoc ipso argumento gallice conscripsi paullo post, retentâ hujus parte maximâ, & ad ipsum ejus Operis Auctorem detuli obsequii mei pignus, nullo ejus exemplari apud me retento, cum hoc fusius, & plura complectens jam tum destinaverim typis.

Porro cum meam hanc solutionem præstet linea sinuum, in hoc ipso initio exhibui ejus constructionem, & proprietates plures e simplicioribus, potissimum eas, quæ usui futuræ erant pro determinatione disparitionum, & apparitionum annuli, de qua agitur, & ea quidem continentur in problemate primo, & ejus corollariis. In fine Opusculi habetur numero 166 Appendix, in qua demonstrantur nonnullæ aliæ proprietates ipsius. Ea adjuncta huic problemati cum hisce corollariis continet seriem quandam elementorum hujus curvæ.

structionem admodum elementarem, & simplicem, quæ ope circuli habentis diametrum minorem uno pede exhibeat determinationem ita proximam, ut plerumque aberret minus, quam una, vel altera hora, & calculo numerico admodum facili possit acquirere summam accurationem, usque ad quoslibuerit limites. Proderit evolvere eam solvendi methodum, tam ut pateat consensus Geometriæ cum calculo, & vis Geometriæ ipsius in iis, quæ pertinent ad communes Astronomiæ usus, quam ut ejus perquisitionis fructus pertineat ad eos quoque, qui non sunt satis exercitati in eo calculorum sublimiorum genere.

2. Requiritur ad eam solutionem constructio lineæ sinuum satis notæ Geometris, & consideratio ejus naturæ, ac proprietatum præcipuarum, quæ itidem sunt notissimæ, & facile obtinentur per Geometriam admodum elementarem, cujus ope, datâ semel ratione diametri ad circumferentiam veræ proximâ, ut 113 ad 355, admodum facile ea curva construitur per puncta, inventis punctis ad ipsam quot libuerit, & ut libuerit proximis sibi invicem.

PROBLEMA I.

3. *Dato radio circuli, & ratione diametri ad circumferentiam construere lineam sinuum.*

4. Descripto circulo (Tab. I fig. 1), cujus centrum C, radius datus CA, compleatur diameter ACB, ac per continuam bisectionem dividatur tota circumferentia in partes 4, 8, 16, 32 &c.: earum sectionum binæ sint F, *f*, ac e singulis sectionibus demittantur perpendicula FE, *fe*. Assumatur (fig. 2) recta ACB, quæ ad radium CA habeat rationem circumferentiæ ad diametrum, proxime 355 ad 113: adjectâ in directum BA' huic æquali, secetur utraque per bisectionem continuam in eundem numerum partium, in quem secti sunt illi radii, ac e singulis punctis E, *e* erigantur perpendicula EF, *ef* æqualia perpendiculis correspondentibus figuræ 1 ita, ut in AB ducantur sursum incipiendo ordine directo AB, & in A'B deorsum ordine retrogrado, existentibus A'E', A'*e*' æqualibus AE, A*e*. Per omnia puncta ita inventa ducatur linea continua, quæ erit quæsita linea sinuum. Rectas AB,

AB, BA' æquales semicircumferentiis appellabimus bases semicirculares, ac arcus integros ADB, BD'A' arcus semicirculares, alterum superiorem, alterum inferiorem.

5. Constructio patet; nam AB, BA' erunt æquales semicircumferentiis ADB, BD'A figuræ 1; adeoque singulæ abscissæ A*e*, AE arcubus A*f*, AF fig. 1, & ABE', AB*e*' arcubus ADBD'F', ADBD'*f*' figuræ ipsius: erunt autem ordinatæ EF, *ef* æquales sinubus EF, *ef* figuræ prioris, & E'F', *e*'*f*' sinubus EF', E*f*' illius ejusdem, qui sinus sunt ibi æquales prioribus EF, *ef*, sed cum directione contraria.

6. Corol. 1. Quoniam arcus incipiens ab A potest continuari utrinque in infinitum, redeuntibus semper iisdem sinubus; patet, lineam sinuum continuari utrinque a puncto A arcubus infinitis superioribus, ac inferioribus alternatim positis: ii omnes erunt inter se æquales, & axem abscissarum secabunt ad intervalla æqualia dimidiæ circumferentiæ: arcus singuli recessum habebunt maximum ab axe in medio singularum basium AB, BA' in C, C' æqualem radio circuli CD, eruntque similia, & æqualia singula arcuum dimidia AD, DB, BD', D'A', cum omnibus sequentibus, quæ sola positione different a se invicem. Quare satis erit in charta crassiore delineare solum arcum AD respondentem primo quadranti ad habendam sola idonea applicatione continua ipsius exsecti totam curvam productam utrinque, quantum libuerit in infinitum. Res facilius perficeretur constructo semel modulo exsecto e lamina metallica.

7. *Corol.* 2. Patet etiam, eandem curvam posse exhibere sinus EF, *ef* respondentes tam arcubus AF, A*f* figuræ 1 incipientibus ab A, quam arcubus BF, B*f* incipientibus a B ordine retrogrado, cum sinus post quadrantem redeant iidem.

8. *Corol.* 3. Ope curvæ jam constructæ facile habebitur sinus ex data recta æquali arcui, & viceversa recta æqualis arcui ex dato sinu. Datâ rectâ æquali arcui, capietur in fig. 2 AE ipsi æqualis, & erecto perpendiculo EF, id erit æquale sinui quæsito. Dato sinu, capietur in recta CD segmentum CI ipsi æquale, & ductâ per I rectâ parallela AB, donec occurrat curvæ in F, &

rectæ ductæ per A perpendiculari ad AB in K, erit FK recta quæsita respondens ei arcui.

9. *Schol.* 1. Hoc secundum problema habebit in singulis arcubus semicircularibus solutiones binas in F, & F‴, si sinus datus sit minor radio; unicam in D, si sit ipsi æqualis; nullam, si exigatur sinus major radio, ut patet ex ipsa constructione. Habebuntur autem in primo, & secundo casu solutiones numero infinitæ in infinitis numero arcubus semicircularibus hinc, & inde ab A, binæ in singulis in primo, singulæ in secundo. Binæ cujusvis arcus semicircularis exhibebunt binos arcus pertinentes ad eundem sinum, qui arcus erunt sibi invicem supplementa: addendo ipsis circumferentias integras quotcumque, habebuntur solutiones reliquæ: semicircumferentiæ additæ habent sinus ejusdem magnitudinis, sed positionis contrariæ.

10. *Schol.* 2. Arcus quadranti proximus male definietur e suo sinu, cum differentiæ arcuum prope quadrantem sint nimis exiguæ, adeoque intersectio rectæ IF cum curva habente ibi directionem parum abludentem ab ipsius directione difficile discerni poterit.

11. *Corol.* 4. Dato puncto F in circumferentia circuli figuræ 1 invenietur recta æqualis arcui AF (*). Demisso enim sinu FE in-

(*) Patet ex hoc, & superiore corollario, ope hujus curvæ haberi non solum trisectionem anguli, sed sectionem in quacumque ratione data. Invenietur enim arcus circuli generantis hanc curvam, qui sit ejus mensura, tum recta æqualis huic arcui: secabitur ea recta in ratione data: invenietur sinus arcus æqualis parti sectæ ejus rectæ, & ex eo sinu is ipse arcus, adeoque & angulus, cujus is sit mensura. En autem seriem expeditam operationum pro constructione ejus problematis.

Fiat in fig. 1 angulus ACF æqualis dato: ducatur FI parallela AC: assumatur in fig. 2 CI æqualis ei, quæ habetur in fig. 1: ducatur IF parallela CA occurrens curvæ in F: ducatur FE perpendicularis ipsi CA: erit recta AE æqualis arcui AF figuræ 1. Secetur ea recta in fig. 2 in ratione data in *e*: ducatur *ef* parallela CD usque ad curvam in *f*: sumatur in fig. 1 C*i* æqualis huic *ef*: ducatur *if* parallela CA usque ad circulum: arcus A*f* erit æqualis rectæ A*e* figuræ 2, adeoque arcus AF figuræ 1 erit sectus in *f* in eadem illa ratione data, in qua erat secta recta AE in *e*, & si ducatur radius C*f*, is secabit angulum ACF in eadem ratione data.

invenietur in fig. 2, per corol. 3, recta FK æqualis arcui quæsito. Sed si punctum F fuerit parum remotum a puncto D; satius erit ducere cosinum FI, & captâ in fig. 2 rectâ CI æquali ei cosinui ducere rectam IF, quæ erit æqualis arcui quæsito. Erit enim FK æqualis arcui DF figuræ 1, & cum tota KI figuræ 2 = AC sit æqualis quadranti DFA figuræ 1, residuum IF hujus erit æquale illius residuo AF.

12. *Corol.* 5. Subtangens lineæ sinuum æquatur tangenti circuli in punctis habentibus eundem sinum. Si enim per puncta F, *f* figuræ utriusque ducatur recta, quæ occurrat axi in H, & recta ex *f* parallela basi occurrat rectæ EF in G; erit utrobique tam recta F*f* ad FH, quam E*e* ad EH in eadem ratione FG ad FE. Si ordinatæ EF, *ef* accedant ad se invicem in infinitum, donec congruant, desinente recta FH in eo casu in tangentem FT; ratio chordæ F*f* ad arcum figuræ 1 æqualem rectæ E*e* figuræ 2 accedet ad æqualitatem ultra quoscumque limites: adeoque & EH figuræ 2 accedet ad rationem æqualitatis respectu FH figuræ 1, cui evadet æqualis tum, cum congruentibus ordinatis abibit FH in utraque figura in tangentem FT, adeoque subtangens ET figuræ 2 erit æqualis tangenti FT figuræ 1 (*).

13. *Co-*

(*) Demonstratio subjicietur oculis melius ope harum binarum proportionum, quarum prior pertinet ad fig. 1, posterior ad fig. 2. $\begin{cases} FG : FE :: Ff : FH \\ FG : FE :: Gf : EH \end{cases}$

Priores bini termini proportionis primæ sunt æquales prioribus binis secundæ: tertius primæ est corda circuli, quæ non est æqualis suo arcui, & tertius secundæ G*f* est æqualis arcui ipsi, cum & arcus F*f* figuræ 1, & recta G*f* figuræ secundæ æquentur eidem rectæ E*e* hujus. Hinc nec quartus terminus primæ, nimirum secans FH (fig. 1) non est æqualis quarto secundæ, nimirum subsecanti EH (fig. 2): sed accedente utrobique puncto *f* ad F ultra quoscunque limites in se determinatos, ratio cordæ F*f* ad suum arcum accedit ad æqualitatem itidem ultra quoscumque limites: hinc & ratio secantis circuli, quæ est quartus terminus primæ ad subsecantem curvæ, quæ est quartus terminus secundæ, accedit ad rationem æqualitatis ultra quoscumque limites. Abeunte demum *f* utrobique in F evanescunt tertii termini, remanent quarti. Hi debent habere rationem illam, ad quam accesserant ultra quoscumque limites & ipsi, & tertii termini, nimirum rationem æqualitatis.

Illa appellatur a Newtono ratio ultima evanescentium, qua appellatione quando-

13. *Corol.* 6. Hinc facile erit ducere tangentem per quodvis punctum datum F (fig. 2) lineæ sinuum. Ductâ FE perpendiculari ad axem, captâ CI in CD figuræ 1 ipsi æquali, ductâ ibi IF parallelâ AB, tum CF, & ipsi perpendiculari FT, quæ erit tangens circuli, capiatur ipsi æqualis ET in fig. 2, ducaturque FT: ea erit tangens quæsita.

14. *Corol.* 7. Quoniam tangens in circulo semper est major arcu, & ipsum eo majore excessu superat, quo magis acceditur ad quadrantem; etiam subtangens ET in fig. 2 erit major, quam abscissa AE, & AT erit æqualis excessui tangentis circuli supra arcum eo major, quo magis punctum F accedet ad D.

15. *Corol.* 8. Poterit duci tangens lineæ sinuum, cujus subtangens ad ordinatam habeat rationem datam quamcumque. Fiat enim in fig. 1 ut terminus antecedens ejus rationis ad consequentem, ita CD ad CE: erigatur ordinata EF: ducatur tangens FT: tum in fig. 2 capiatur CI versus D æqualis EF figuræ 1: ducatur IF parallela axi: demittatur FE: capiatur ET æqualis FT fig. 1: ducaturque FT, hæc erit tangens quæsita. Fore tangentem patet ex coroll. 5: haberi rationem quæsitam subtangentis TE ad ordinatam EF, patet ex eo, quod ob angulum TFC rectum

doque utor & ipse. Sed Newtonus addit, quam rationem eæ quantitates non habent neque antequam evanescant, neque posteaquam evanuerunt, sed tum cum evanescunt. Ea mihi expressio non placet. Tum cum evanescunt, jam sunt nihil: inde aliqui etiam primæ notæ Geometræ admiserant rationem inter nihila, ut aliquod nihil sit etiam duplum, decuplum alio. Quod jam est nihil, nullam habet proprietatem. Revera illa nec est ratio ultima illarum quantitatum, sed est limes ultimus rationum omnium, quas eæ habuerunt, antequam evanescerent, quam rationem eæ quidem nunquam assecutæ sunt, quia eo momento, quod fuit terminus ultimus eorum, ut ita dicam, vitæ, illæ jam non extiterunt: sed eam acquirunt eæ quantitates, quæ semper habuerant eandem rationem ac ipsæ, & ipsis jam pereuntibus remanserunt: cum eæ adhuc existant, debent habere rationem aliquam, nec omnino possunt habere aliam, nisi eam, ad quam ultra quoscumque limites accesserant. Chorda, & arcus jam non existunt: secans circuli evadit tangens, subsecans curvæ evadit subtangens: hæ remanent, & debent habere rationem æqualitatis, ad quam ultra quoscumque limites accesserant. Hæc est hujus methodi vis, quæcumque expressio ad eam significandam adhibeatur.

ctum in fig. 1 erit CF, sive CD ad CE, ut TF ad FE, nimirum ut in figura 2 TE ad FE.

16. *Corol.* 9. Angulus tangentis cum axe erit æqualis angulo CDE figuræ 1, qui semper erit minor semirecto præter puncta extrema A, B, in quibus evadet semirectus. Patet primum, quia cum sit TE ad EF in fig. 2, ut CD ad CE in fig. 1, & anguli iis lateribus intercepti sint recti, ea triangula erunt similia, & angulus ETF figuræ 2 æqualis angulo CDE figuræ 1. Porro angulus CDE in fig. 1 erit semper minor semirecto, donec abeunte E in A, vel in B, evadat semirectus: eo casu abibit in utraque figura F in A, vel B. Si autem CD sit minor quam CE; nec habebitur ordinata EF figuræ 1, nec tangens FT, cui subtangens evadat æqualis. Quævis tangens TF est major in fig. 1 sinu FE, & habet ad ipsum rationem, quæ, imminuto arcu AF ultra quoscumque limites, accedit in infinitum ad rationem æqualitatis. Quare in fig. 2 latus ET semper erit majus latere EF, adeoque angulus oppositus ipsi EF semper minor semirecto, donec productâ prius TF indefinite in V, & abeuntibus punctis E, F, T in A, angulus CTV evadat semirectus.

17. *Schol.* 3. Casus tangentis impossibilis erit is, in quo ratio subtangentis ad ordinatam debeat esse minoris inæqualitatis. Pro ratione æqualitatis contactus cadent in puncta, in quibus curva pervenit ad axem, ubi ipsa in eo casu rationis æqualitatis continebit cum axe ipso angulum semirectum: quævis ratio majoris inæqualitatis, vel quivis angulus minor semirecto inveniet tangentem sibi respondentem. Patet autem, in quovis arcu semicirculari tangentes fore duas anguli ejusdem respondentes rationi eidem: nam recta FI occurret eidem arcui in alio puncto F‴, ubi ratio F‴T‴ ad F‴E‴ erit eadem, & angulus ad T‴ erit idem: sed directio subtangentis erit opposita, & angulus erit obversus in plagam oppositam. Binæ aliæ ejusmodi tangentes habebuntur in arcu opposito BD'A' in punctis F', F⁗ determinatis a C'I' directionis oppositæ. Eæ quatuor tangentes determinarentur a binis CE, CE' in fig. 1 directionis contrariæ relatis ad directiones oppositas CA, CB, & determinantibus quatuor puncta F, F', F‴, F⁗, qui-

quibus respondeant in fig. 2 quatuor contactus. Solum in casu subtangentis infinitæ habebitur in singulis arcubus tangens unica in punctis D, D'. Erunt autem parallelæ singulæ arcus superioris singulis arcus inferioris, ut FT, T'F', & F''T'', T'''F'''.

18. Si debeat definiri positio ejus tangentis calculo numerico; id facile præstabitur. Radius circuli fiat = 1, ratio data subtangentis ad ordinatam sit m ad 1, quæ erit itidem ratio tangentis FT figuræ 1 ad sinum FE, sive radii CF ad CE cosinum arcus AF. Quare is cosinus erit $= \frac{1}{m}$. Arcus habens eum cosinum dicatur a, & ejus tangens t: erit a valor rectæ EA figuræ 2, & t valor subtangentis ET, adeoque AT ibidem $= t - a$, angulus autem CDE figuræ 1, cujus cotangens $\frac{CD}{CE} = m$, erit æqualis angulo ETF. Recta AT haberi poterit etiam in partibus circuli, quæ sunt partes scalæ axis figuræ 2. Radius = 1 continet gradus 57°. 17'. 45'', sive minuta $3437\frac{3}{4}$, vel proxime 3438, adeoque numerus minutorum rectæ ET erit $3438t$. Hinc si a exprimat numerum minutorum arcus a habentis cosinum $= \frac{1}{m}$; erit numerus minutorum rectæ AT $= 3438t - a$.

19. Corol. 10. *Quivis arcus semicircularis lineæ sinuum obvertit ubique cavitatem axi, nec ulli rectæ potest occurrere in pluribus, quam duobus punctis, nec ab ulla recta tangi, nisi in unico puncto, ac arcus curvæ continuus in omnibus punctis, in quibus pertingit ad axem, ita ipsum secat, ut ibidem habeat flexum contrarium, & secet suam tangentem.*

20. Sit enim in fig. 3 semicirculus ADB idem, qui in fig. 1, & arcus ADB, idem in 4, qui in 2: sint autem in fig. 4 bina puncta curvæ F, f quæcumque, cum punctis F, f correspondentibus in fig. 3: ducatur utrobique recta Ff, seceturque bifariam in N, ac demittantur perpendicula FE, NP, fe in rectam AB: sit M concursus rectæ PN cum linea sinuum in fig. 4, ac rectæ CN cum arcu circuli in fig. 3, & demittatur ibidem perpendiculum MO in AB.

21. Pa-

21. Patet, fore utrobique PN semisummam sinuum EF, *ef*; qui cum sint ejusdem magnitudinis utrobique, erit & PN utrobique magnitudinis ejusdem. Porro in fig. 3 erit sectus bifariam arcus F*f* a radio CM secante bifariam ejus chordam, adeoque cum & recta E*e* in fig. 4 ipsi respondens secta sit bifariam in P, arcus AM, & sinus MO illius respondebunt rectæ AP, & sinui PM hujus, adeoque PM hujus æquabitur OM illius. Porro ob CM majorem quam CN in fig. 3, etiam OM ibidem erit major quam PN: quare in fig. 4 PM erit major quam PN, & punctum M jacebit ultra rectam F*f* respectu axis AB. Eodem pacto si concipiantur chordæ FM, *f*M in fig. 4, & per ipsas bifariam sectas rectæ perpendiculares axi; eæ occurrent arcui curvæ ultra eas chordas, quæ chordæ itidem jacent ultra chordam F*f*. Quare & illa puncta, & alia omnia, ad quæ deveniretur ductis perpetuo novis chordis, & factis novis bissectionibus, jacent ultra chordam F*f*, quod fieri non potest, nisi omnia puncta ejus arcus jaceant ultra ipsam, cum eâ continuâ bissectione debeat accedi ad quodvis punctum ipsius arcus ultra limites quoscumque per puncta ita inventa, quorum singula posita erunt ultra ipsam chordam, & ab ea distabunt per distantiam quandam in se determinatam. Cum vero arcus quivis jaceat totus ultra chordam respectu axis, patet, obverti ubique cavitatem axi ipsi.

22. Inde facile deducitur, nullam rectam posse occurrere arcui ADB in pluribus, quam in duobus punctis: si enim haberetur occursus in punctis tribus; punctum medium non jaceret ultra rectam, quæ conjungeret extrema, sed esset in ipsa.

23. Contactum non posse haberi nisi in unico puncto, patet ex eo, quod arcus perpetuo cavus versus axem, ultrà quem non transeat, debet jacere utrinque a contactu inter tangentem, & ipsum axem. Quare aliqua pars arcus jaceret citra rectam, quæ conjungeret binos contactus, non ultra ipsam.

24. Haberi in A flexum contrarium, & tangentem secari ab arcu, patet ex eo, quod si OAV sit tangens, & BA producatur in T, arcus DA debet jacere in angulo BAV, & ejus continuatio in angulo OAT, ut jaceat inter tangentem, & axem,

quod requiritur, ut obvertat utrobique cavitatem axi.

25. Corol. 11. *Nulla recta totam lineam sinuum utrinque infinitam tangit in punctis pluribus, quam duobus præter binas rectas axi parallelas, quæ tangunt in vertice altera omnes arcus superiores, altera omnes inferiores. Recta, quæ transiens per quampiam intersectionem curvæ cum axe tangit arcum aliquem ex una parte, tangit ex parte opposita ad eandem distantiam alium æque distantem ab eadem intersectione: cæteræ omnes tangentes habent unicum contactum unius arcus tantummodo.*

26. Consideretur (fig. 2) punctum F''' delatum motu continuo retrogrado a puncto B usque ad D: linea BT''' augebitur, donec punctum T''' deveniat ad A'. In eo casu ejus productio incipiet incurrere in primum arcum inferiorem, qui occurret post superiorem contiguum arcui BD'A'.. Si enim tota figura relicto vestigio suæ positionis prioris convertatur circa punctum A' motu semicirculari sine inversione plani ita, ut totus axis, qui jacebat ultra A' ad dexteram, congruat cum toto axe præcedentis positionis, qui jacet ab A' ad sinistram; patet, omnes arcus inferiores ita translatos debere congruere cum superioribus positionis præcedentis sitis in eadem distantia ab A', & superiores cum inferioribus: productio tangentis F'''T''' jam transeuntis per punctum conversionis A' redibit supra ipsam T'''F''', & in puncto curvæ, quod abiit in F''', habebit similem contactum, ad eandem distantiam T'''F'''. Idem accidet tangentibus omnibus transeuntibus per quamvis sequentem intersectionem curvæ cum axe. Cum, factâ dimidiâ conversione figuræ, omnes arcus inferiores jacentes ad dexteram debeant abire in superiores ad lævam positos ad eandem distantiam, productio tangentis rediens supra se ipsam tanget in puncto æque distante arcum congruentem cum arcu contactus prioris.

27. Continuo motu puncti F''' tangens F'''T''' producta deveniet ad contactum cum arcu inferiore primo post A' in appulsu T''' ad A', uti ex parte superiore tendens ad lævam in eodem appulsu T''' ad A' tangit primum superiorem BDA in quodam puncto F''' propiore puncto D, quam sit id, quod figura exhibet. In appul-

pulsibus singulis ipsius T''' ad singulas intersectiones sequentes ea recta deveniet ordine suo ad contactum arcus inferioris tertii, quarti &c, secabit autem omnes intermedios: solum ubi F''' adveniet ad D, tangens facta parallela axi tanget omnes reliquos arcus in punctis respondentibus ipsi D. Porro ea, quæ deveniet ad aliquod ex iis punctis, producta debebit post numerum arcuum æqualem numero præcedentium interceptorum inter ipsum, & illum arcum, quem ea primo contigit, contingere in eadem distantia ab eodem puncto alterum habentem directionem oppositam, cum nimirum tota figura subsequens sit prorsus similis, & æqualis præcedenti, sola directione arcuum mutata ita, ut inferiores sequentes respondeant superioribus inde æque distantibus, & dimidia conversione facta circa id punctum, omnes ii inferiores debeant ita abire in superiores cum productione tangentis abeunte in tangentem ipsam præcedentem, ut omnia congruant. Recta autem ipsa inter eos binos contactus secabit omnes arcus intermedios, & utrinque ultra ipsos producta ita recedet ab axe, ut nulli e præcedentibus, vel sequentibus possit ultra occurrere. Quamobrem nulla recta, quæ non transit per unam ex ejusmodi intersectionibus, potest contingere binos arcus, nec ulla ex iis, quæ transeunt per aliquod ex iis punctis, poterit habere plures, quam illos duos contactus oppositos, quos tamen omnino habebit quævis tangens transiens per unum ex ejusmodi punctis (*).

28. *Schol.* 4. Ope harum proprietatum lineæ sinuum facile expediuntur per constructionem linearem, & admodum simplicem, ut innuimus numero 1, ea, quæ pertinent ad disparitiones, & apparitiones annuli Saturni, cujus constructionis consideratio deducit ad calculum numericum itidem simplicem. Eam omnem

(*) Ad habendum complementum theoriæ hujus curvæ subjicienda est huic numero Appendix, cujus mentio est injecta in adnotatione ad numerum 1: ea habetur in fine hujus Opusculi numero 166. Habentur ibi quæ pertinent ad subnormalem, ad circulum osculatorem, & ad areæ quadraturam, quorum omnium determinatio obtinetur per constructionem admodum facilem, & expeditam post analysim non algebraicam, sed linearem, & demonstrationes per linearem Geometriam institutas, quam hic etiam huc usque adhibuimus.

theoriam Sejourius reduxit ad combinationem binorum motuum æquabilium binorum punctorum, alterius in peripheria circuli, alterius in ejus diametro, additis correctionibus nonnullis ob hypothesim motus circularis substitutam motui elliptico, & velocitatem constantem motus utriusque velocitati nonnihil variatæ.

29. Annulus Saturni videri non potest, 1°. cum directio ejus plani transit per solem, a quo in ea positione neutra ejus facies illuminatur, 2°. cum eadem transit per terram, respectu cujus neutra facies tunc est conspicua, 3°. cum id planum transit inter solem, & terram, quo casu obvertitur terræ facies aversa a sole, & idcirco obscura. Priores duæ positiones sunt momentaneæ, tertia durat aliquandiu, & semper vel incipit, vel desinit per alteram ex iis binis prioribus.

30. Centrum terræ motu annuo transfertur circa solem in orbita proxime circulari, & velocitate parum admodum mutata, dum interea Saturnus progreditur in orbita sua, & secum transfert suum annulum motu proxime parallelo. Intersectio plani ipsius annuli cum plano eclipticæ est recta linea, quæ itidem progreditur motu parallelo, & is motus est proxime uniformis toto eo tempore, quo ea recta percurrit orbitam terrestrem tanto minorem orbitâ Saturni. Si concipiatur diameter orbitæ terrestris perpendicularis ei rectæ mobili, ejus intersectio cum ipsa recta erit punctum illud percurrens diametrum motu uniformi, dum centrum terræ percurrit motu itidem uniformi circumferentiam. Ad determinandam vel disparitionem momentaneam, vel initium, & finem disparitionis permanentis usque ad novam apparitionem oportet determinare momentum, in quo illud punctum in motu suo per diametrum incidit in solem, & momenta, in quibus incidit in ordinatam circuli transeuntem per punctum secundum, quod percurrit circumferentiam: tum enim terrâ, cujus locus est illud punctum, positâ in illa intersectione, planum annuli transit per ipsam.

31. Primum illud momentum facile invenitur dato loco primi puncti in ea diametro pro dato quopiam momento temporis, quod præcedat nonnihil appulsum ipsius ad centrum, & datâ ipsius velocita-

citate, quæ duo facile inveniuntur. Cum enim id punctum digressum a loco solis redeat ad ipsum circiter post dimidiam revolutionem Saturni in orbita sua, nimirum post annos circiter 15, facile est, ex postremo ejus appulsu ad solem facto in postrema horum phænomenorum serie judicare de momento nonnihil præcedente eum regressum. Facile autem inveniuntur pro eo momento assumpto illa duo ope calculi astronomici, datis motibus Saturni, & positione annuli respectu eclipticæ: ope ipsius calculi facile invenitur etiam locus secundi puncti, nimirum centri terræ pro eodem momento, adeoque & celeritas ejusdem centri, unde habebitur ratio earundem celeritatum. Si fiat, ut celeritas primi puncti ad celeritatem terræ, ita distantia loci ejusdem primi puncti a sole eruti ex illo calculo astronomico ad arcum interea descriptum ab ipso terræ centro; invenietur is arcus, qui additus loco priori terræ in ecliptica exhibebit locum ipsius terræ pro eo momento, quo primum punctum pervenit ad solem: ex loco terræ invento invenitur ope calculi astronomici momentum quæsitum appulsus primi puncti ad centrum circuli, quod erat primo inveniendum: tum invenietur arcus interceptus eo momento inter ipsum locum terræ, & utrumvis verticem diametri perpendicularis illi priori diametro. Is arcus, & ratio velocitatum erunt elementa, ex quibus ope lineæ sinuum invenientur omnes concursus primi puncti cum ordinata circuli transeunte per secundum.

32. Velocitas terræ est major velocitate primi puncti (*); sed ad plenam problematis solutionem considerabimus rationem velocitatum quamcumque, sive supponatur velocitas circularis minor rectilineâ, sive ipsi æqualis, vel eâ major. Sed hìc in antecessum

(*) Prima est tantillo major, quam tripla secundæ, quod habebitur infra in applicatione theoriæ generalis ad phænomena videnda e terra, quæ habebitur in problemate VII num. 123: Saturnus enim planum sui annuli defert secum motu parallelo, & intersectio illa ibi progreditur velocitate proxime æquali velocitati ipsius Saturni: velocitates autem mediæ terræ & Saturni sunt in ratione reciproca subduplicata distantiarum a sole, sive proxime ut $\sqrt{9559} = 3{,}089$ ad 1.

sum notabimus quædam pauca, quæ pertinent ad generalem comparationem illorum motuum.

33. Dum punctum secundum motu suo uniformi describit circulum; ordinata per ipsum transiens in initio, & fine ejus diametri habebit velocitatem imminutam in infinitum, quæ perpetuo crescet in accessu ejus ordinatæ ad centrum, decrescet in recessu: semper autem est minor velocitate puncti secundi in circulo ob obliquitatem arcus ipsius respectu diametri præter momentum, in quo ea ordinata transit per centrum: ibi ob arcum perpendicularem ei ordinatæ velocitas ipsius erit æqualis velocitati ejusdem puncti secundi in circulo. Exhibebimus solutionem problematis, quo quæritur concursus ordinatæ puncti secundi cum puncto primo, ope lineæ sinuum: tum adjiciemus animadversiones nonnullas in plura, quæ huc pertinent, & evolvemus casus singulos, ac proponemus rationem instituendi calculum numericum, & adhibendi correctiones.

PROBLEMA II.

34. *Invenire occursum puncti uniformiter progredientis in diametro circuli cum ordinata ejusdem diametri ducta per punctum uniformiter progrediens in ejusdem circuli circumferentia ex data ratione velocitatum, & dato loco secundi puncti pro eo momento temporis, quo primum punctum appellit ad centrum.*

35. Sit in fig. 5 MD diameter circuli, quam percurrit punctum I motu uniformi ascendendo ab M versus D, dum aliud punctum F percurrit circumferentiam directione ADBM: sit AB diameter perpendicularis priori, & punctum secundum F abeat motu uniformi ascendendo ad lævam in semicirculo superiori per AD, & descendendo per DB, tum in inferiori ad dexteram descendendo per BM, & ascendendo per MA: dum autem primum punctum appellit ad centrum C, sit secundum in semicirculo superiori in T, vel in inferiori in T'. Quæritur ordinata IF, ad quam pervenient simul in I, & F'.

36. Ordo litterarum A, & B hìc immutatus est respectu figuræ 1, positâ A ad dexteram, quæ ibi fuerat ex parte læva, ut

ascen-

ascensus ad lævam imitetur motum planetarum post solem, qui fit abeundo ad lævam respectu aspicientis solem ipsum. Posita est itidem littera M pro D', ad servandam melius quandam analogiam geometricam in linea sinuum, quæ adhibebitur in sequentibus figuris pro solutione problematis, & determinatione diversorum casuum, quam ob causam in ipsa etiam respectu figuræ 2 mutabitur & ordo litterarum, & littera D'.

37. Fiat in fig. 6 linea sinuum, in qua primus arcus semicircularis ascendat ab A per AD ad lævam, descendat per DB respondens semicirculo superiori ADB figuræ 5, tum descendat per BM, ascendat per MA', sed progrediendo semper ad lævam, licet respondeat semicirculo BMA figuræ 5 regredienti versus dexteram. Ex parte vero dextera descendat primus arcus per A*m*, ascendat per *mb*, respondens semicirculo AMB, tum ascendat secundus per *bd*, descendat per *da'*, respondens semicirculo BDA. Continuabuntur plures ii arcus in sequentibus figuris Tabulæ II (*): debent autem concipi infiniti utrinque, qui distinguendi sunt per accentus adjectos ex parte læva per novos arcus A'D'B', B'M'A", A"D"B", B"M"A'" &c., & ex parte dextera per novos *a'm'b'*, *b'd'a"*, *a"m"b"*, *b"d"a'"* &c.

38. Capiatur in eadem figura 6 (Tab. I) num. 8 recta AT versus B, vel AT' versus *b* æqualis arcui AT, vel AT' figuræ 5: capiatur CL versus A, quæ sit ad radium circuli = CD, ut est velocitas secundi puncti in circulo ad velocitatem primi in diametro

(*) Ad coarctandam eam Tabulam bases arcuum ibi delineatæ sunt respectu altitudinum breviores justo: deberent esse, ut in figuris 2, 4, 6, 7, ad altitudinem singulorum arcuum in ratione semicircumferentiæ circuli ad radium, nimirum paullo etiam longiores, quam triplæ: factæ autem sunt tantummodo duplæ, & arcus ipsi circulares. Ad ea, quæ subsequentur, sistenda oculis necessarius erat ille arcuum numerus, qui cernitur in figuris sequentibus: si bases assumptæ fuissent respondentes altitudinibus ejus magnitudinis, quæ ibi habetur; tabula evasisset nimis lata: si altitudines respondentes iis basibus; plures rectæ evasissent nimis parum distantes a se invicem. Facile autem mente suppletur forma debita, quam in iis, ad quæ hæ figuræ adhibentur, satis supplet semicircularis assumpta.

tro (*): ducatur DL, tum ex T, vel T' recta ipsi parallela, cujus occursus cum linea sinuum in F, vel F' solvet problema. Ducto nimirum FE, vel F'E' perpendiculo in axem, & assumpta in fig. 5 CI, vel CI' ipsi æquali cum directione eadem, ducatur IF, vel I'F' versus A, vel B, prout punctum F, vel F' in fig. 6 ceciderit ante, vel post dimidium arcum semicircularem lineæ sinuum: ordinata FI, vel F'I' ita inventa erit illa, quæ quæritur, ad quam nimirum simul appellent primum punctum in I, vel I', & secundum in F, vel F'.

39. Demonstratio est facilis. Quoniam AT est ejusdem longitudinis in utraque figura (idem dicendum de AT'), & ex natura lineæ sinuum arcus AF figuræ 5 æquatur rectæ AE figuræ 6; erit & arcus TF illius æqualis rectæ TE hujus, ac CI illius, & EF hujus æquabuntur per constructionem. Est autem in hac TE ad EF, ut CL ad CD, nimirum ut est velocitas puncti secundi ad primum. Igitur erit ibi arcus TF ad rectam CI in eadem ratione, adeoque dum punctum primum percurrit rectam CI, secundum percurrit arcum TF, & simul appellunt ad eam ordinatam, ut oportebat (**).

40.

(*) Hic assumpta est CL minor radio CD, ut figura evaderet simplicior: respondet velocitati minori, & in ejusmodi casu ubicumque sit D, non habetur nisi unicus occursus rectæ parallelæ huic LD cum tota curva etiam in infinitum producta. Sed pro terra, cujus velocitas est plus quam triplo major, recta CL multo longior requirit inclinationem rectæ LD, adeoque etiam rectæ TF multo majorem, angulo ad L, & T multo minori, quod admittit multos incursus. Ea, quæ respondent velocitati terræ, occurrent inferius relata ad figuram 7. Pro velocitatibus multo majoribus multo adhuc plures habebuntur occursus, ut patebit inferius in longa casuum evolutione relata ad figuras sequentes.

(**) Puncta T', T figuræ 6 posita in ejus basibus Aδ, AB respondent iisdem punctis positis in semicirculis AMB, ADB figuræ 5, qui semicirculi respondent iis basibus, ut patet ex iis, quæ dicta sunt: sed punctis F', F hujus respondent non illius puncta F', F, sed puncta E', E. Computando tempora in axe figuræ 6, punctum, in quod cadit ordinata curvæ transiens per intersectionem rectæ ductæ per locum, quem occupat terra tum, dum primum punctum advenit in fig. 5 ad centrum C, exhibet momentum, in quo fit in eadem figura 5 conjunctio primi puncti cum ordinata ad axem MD ducta per locum puncti secundi, ut hic punctum E', vel E figuræ 6, in quod cadit ordinata F'E', vel FE, ex-

40. *Schol.* 1. Non erit opus in applicatione ad annulum Saturni reductione arcus AT figuræ 5 ad rectam figuræ *6* per num. 8. Calculus astronomicus exhibebit numerum graduum, & minutorum pro eo arcu. Hinc satis erit habere scalam, quæ exhibeat semicircumferentiam AB figuræ *6* in minutis. Radius continet minuta $3437\frac{3}{4}$. Si fiat scala, quæ rectam paullo minorem 4 pollicibus dividat ope transversalium in partes 1000, quæ utique erunt in ipsa sensibiles, assumi poterunt pro radio circuli partes *1719*, quæ singulæ continebunt bina minuta: is radius erit magnitudinis mediocris, nimirum circiter pollicum *6*: semicircumferentia AB habebit earum partium $180 \times 30 = 5400$: in applicatione autem ad phænomena videnda e tellure singulæ partes respondebunt tempori breviori horis singulis, cum ea percurrat singulis diebus circiter singulos gradus, sive partes ejusmodi 30. Pro tellure satis erunt bini arcus ADB, A*mb*, ut patebit inferius, adeoque tota longitudo *Bb* esset paullo major pedibus tribus, altitudine existente pedis unius. Radius triplo minor partium 573 requirens longitudinem totam unius pedis exhiberet tempora breviora horis ternis in eo phænomeno, cujus observatio a solo discrimine telescopiorum, & oculorum est incerta per plures dies.

41. Major numerus arcuum requireretur a multo majore celeritate motus circularis respectu rectilinei; si per constructionem determinandi essent singuli concursus rectæ ductæ ex T cum curva. Sed in iis omnibus ipsa constructio ita fieri posset, ut priores bini arcus soli gerant vices omnium, & res ad unicum etiam reduci posset. Verum abunde erit sola eorum consideratio sine actuali constructione ad determinandum calculo numerico admodum

exhibet id momentum. Cum id punctum jacet ad dexteram respectu A, ut E', ordinata F'E' exhibet spatium I'C figuræ 5 æquale ipsius spatio EF', quod remanet percurrendum puncto primo ejusdem figuræ 5 a concursu cum ordinata F'I' usque ad ejus appulsum ad centrum C: e contrario cum id jacet in fig. *6* ad sinistram, ut E, ordinata EF exhibet spatium CI figuræ 5 æquale ejus spatio EF, quod debet percurrere punctum primum a suo appulsu ad illud centrum usque ad concursum cum ordinata FI: interea percurritur a puncto secundo in fig. 5 arcus F T', vel TF æqualis rectæ E'T', vel ET figuræ *6*.

simplici numerum solutionum, qui pro variis casibus diversæ magnitudinis rationis velocitatum haberi possit, ac debeat, ut patebit inferius: id autem unum abunde est ad habendam ideam generalem problematis applicati ad celeritates quascunque. Pro nostra hominum Astronomia abunde est determinatio phænomenorum pendentium a celeritate motus annui terræ combinati cum motu Saturni, quæ non indiget in tota sua extensione nisi arcubus primis ADB, A*mb* (*).

42. Pro casu generali rationis velocitatum cujuscumque (**) punctum T, per quod ducenda est recta parallela LD, quæ per suos occursus cum curva sinuum exhibere debet solutiones omnes, non potest jacere, nisi vel in arcu ADB ut T, vel in arcu A*mb*, ut T', prout primum punctum advenerit in fig. 5 ad C post adventum secundi ad A, vel ante ipsum. Intersectio F rectæ solventis problema poterit cadere in quemvis ex arcubus infinitis hinc & inde ab A, & ejusmodi punctum erit unicum, vel erunt plura, ac determinatio numeri eorum punctorum, & positio singulorum pendebit a positione puncti T, vel T', & a diversa inclinatione rectæ per ipsum ductæ, quæ inclinatio pendet a ratione data velocitatum.

43. Ap-

(*) Id patebit inferius, sed interea facile hic etiam perspicitur. Cum enim celeritas terræ sit circiter tripla celeritatis puncti primi juxta adnot. ad num. 32, & semicircumferentia circuli sit circiter triplo major ejus radio; dum primum punctum in fig. 5 percurrit radium MC, non potest terrâ percurrere spatium majus semicirculo BMA, qui respondet basi *b*A figuræ 6, & dum illud percurrit radium CD in fig. 5, non potest hæc percurrere spatium majus semicirculo ADB, qui respondet basi AB figuræ 6. Hinc cum punctum primum advenit in fig. 5 ad centrum C, non potest terra in fig. 5 distare a puncto A plusquam per semicirculum BMA, vel ADB, adeoque non potest punctum T', vel T in fig. 6 distare a puncto A plusquam per basim *b*A, vel AB. Quin immo cum ratio celeritatum sit 3,089 ad 1, & ratio dimidiæ peripheriæ ad radium 3,142 ad 1, distantia puncti T', vel T in fig. 6 ab A maxima omnium, quæ, habitâ ratione harum velocitatum mediarum, haberi possunt, est adhuc tantillo minor, quam basis *b*A, vel AB.

(**) Sequens perquisitio rationis velocitatum cujuscumque non habet usum pro nostra hominum Astronomia, sed est utilis, & jucunda geometricarum contemplationum amatori, ut supra etiam monuimus.

43. Appulsus primi puncti ad ordinatam secundi præcedet appulsum primi ad centrum, & secundi ad T', vel T, prout E', vel E jacuerit ad dexteram respectu ipsius T', T, vel ad sinistram, & T'E', vel TE indicabit in scala minutorum arcum, quem secundum punctum interea debet describere ante, vel post eum appulsum. Determinato puncto A, & momento, quo punctum secundum appellit ad ipsum, habebitur occursus ante, vel post id momentum, prout punctum F', vel F, ceciderit in arcum curvæ infinitæ jacentem ad dexteram puncti A, vel ad lævam; & recta AE', vel AE exhibebit arcum assumendum in fig. 5 ab A directione AM, vel AD, ut deveniatur ad F', vel F. Si F transcurrat in fig. *6* ultra plures arcus integros semicirculares; arcus ipsi respondens continebit totidem semicircumferentias, quæ omitti possunt, si determinari debeat punctum F in fig. 5 per magnitudinem arcus determinatam in axe figuræ *6*: sed id punctum determinatur (num. 38) ope sinus EF.

44. Sive T in fig. *6* jaceat ad lævam puncti A, sive ad dexteram in T'; poterit & punctum F in primo casu, & F' in secundo jacere tam ad lævam, quam ad dexteram respectu puncti A. Sed ut F possit jacere ad lævam, vel F' ad dexteram, requiritur certa non exigua ratio velocitatis puncti secundi ad velocitatem primi, & ubi hæc ratio est admodum ingens, potest tam recta ducta per T, quam recta ducta per T' occurrere plurimis arcubus utrinque a puncto A secando singulos in binis punctis, & tangendo unum, vel binos oppositos in singulis. Nam eo casu recta CL erit ingens, & angulus L exiguus, adeoque recta ducenda ex T, vel T' non recedet ab axe ad distantiam majorem altitudine arcuum, sive radio CD, nisi post ingentem numerum arcuum semicircularium. Is numerus poterit augeri ex parte utraque in infinitum, aucta in infinitum ratione velocitatis puncti secundi ad velocitatem primi. Si ea ratio sit exigua; punctum primum curret per diametrum citius, quam punctum secundum per circumferentiam, adeoque adhuc citius, quam ordinata puncti secundi, quæ juxta num. 33 movetur lentius, quam id punctum. Hinc ubi semel punctum primum appulerit ad ordinatam, sive ea

tum regrediatur, sive etiam progrediatur, evadet ultra totam reliquam diametri partem, quin ea ordinata possit ipsum assequi iterum. Sed si ea ratio sit ingens; poterit punctum secundum peragere plurimas conversiones integras ante, quam punctum primum elabatur e diametro: in singulis debebit ipsi occurrere saltem semel. Hinc habebuntur saltem totidem occursus, quot integræ conversiones puncti secundi eo tempore, quo punctum primum percurrit suam diametrum.

45. Jam vel inde patet, posse determinari eum numerum occursuum necessarium. Si enim fiat ut velocitas primi puncti ad velocitatem secundi, ita radius ad numerum quendam, & hic divisus per valorem totius circumferentiæ habeat quotum quendam n; saltem habebitur utrinque numerus occursuum n. Poterit autem in una ex iis integris conversionibus haberi alius occursus, vel alii duo, adeoque tres in eadem: poterunt binæ conversiones habere alium singulæ, ut & in residuo arcu, quem relinquit divisio exhibens quotum n, potest haberi unus occursus, vel duplex. Ea omnia exhibebuntur, & subjicientur oculis a constructione. Sed etiam ante evolutionem totam ipsius constructionis persequemur eos casus omnes singillatim in scholio sequenti.

46. *Schol.* 2. Exponemus hìc casus diversos, & discrimen inter varios occursus per solam considerationem figuræ 5, ex diversa ratione velocitatum, & positione puncti T, vel T', indicando, quid constructio debeat exhibere in singulis casibus per suas intersectiones cum curva, vel suos contactus: sed præmittemus considerationem transituum primi puncti per centrum.

47. Si in transitu primi puncti per centrum punctum secundum est in semicirculo superiore ADB; habetur semper initium occultationis, sive disparitio annuli; quia tum ejus planum subibit inter solem, & punctum secundum, cui idcirco tum incipiet obverti facies ejus obscura: succedet apparitio, dum ascensu continuo primi puncti id ita incurret in ordinatam puncti secundi, ut transeat ultra ipsam, quod omnino debebit accidere alicubi ante, quam id punctum elabatur e radio CD, per quod ordinata ipsa digressa ab A ascendit usque ad D, tum descendit usque ad C;

adeo-

adeoque is incursus habebitur saltem semel vel in ascensu ipsius ordinatæ, vel in D, vel in descensu.

48. Si in eo transitu primi puncti per centrum punctum secundum fuerit in B; habebitur disparitio, sed momentanea. Disparitio haberi debet; quia tum planum annuli obvertitur & soli, & puncto secundo, quorum utrumvis est satis ad disparitionem: sed disparitio erit momentanea, quia tam ante, quam post id momentum sol erit inter planum annuli, & id punctum. Momentanea quidem erit geometrice, non physice; nam nimis exigua altitudo tam oculi, quam solis supra id planum efficiet, ut optimis etiam telescopiis lumen nimis tenue delatum ad annulum in positione adeo obliqua, & inde reflexum ad oculum percipi non possit: pendebit mora ejus occultationis a vi telescopii, & oculi, ut & ab aliis impedimentis visionis. Cum apparitionem, & disparitionem nominaverimus, intelligemus semper geometricam, non physicam.

49. Si transitus idem primi puncti per centrum fiat, dum punctum secundum est in semicirculo inferiore BMA; habetur semper initium apparitionis; quia tum sol incipiet esse inter planum annuli, & punctum secundum: debebit autem præcessisse saltem una disparitio; quia ante adventum primi puncti ad M debuit punctum secundum esse inter planum annuli, & solem, adeoque non potest ipsum primum punctum advenire ad centrum, puncto secundo morante in semicirculo inferiore, nisi transierit per ejus ordinatam, ac se collocaverit inter ipsam, & solem.

50. Quod si demum is transitus fiat puncto secundo existente in A; id poterit contingere, puncto primo habente velocitatem vel majorem, vel æqualem, vel minorem velocitate puncti secundi. In primo casu punctum primum transcurret simul ultra centrum, & ordinatam secundi pariter ascendentem, sed lentius; adeoque habebitur disparitio, sed momentanea: disparitio quidem ob planum annuli obversum & soli, & puncto secundo, momentanea vero, quia tam ante, quam post sol erit inter planum annuli, & punctum secundum. In secundo casu adhuc habebitur occultatio momentanea; quia ordinata in punctis omnibus arcuum AM,

AD

AD ascendet lentius, quam punctum ipsum ob obliquitatem arcus, adeoque lentius, quam punctum primum : sed quoniam discrimen celeritatis erit perquam exiguum prope A, ob obliquitatem ibi perquam exiguam, diu hærebunt fere sibi proxima punctum, & ordinata tam ante, quam post transitum, & occultatio physica erit ibi multo longior. In tertio casu ibi habebitur tantum momentanea disparitio : ordinata habens in A velocitatem æqualem velocitati puncti secundi habebit illam majorem velocitate puncti primi per aliquem arcum hinc, & inde ab ipso puncto A ; adeoque ita ibi transcurrent simul, ut punctum primum sit inter centrum, & ordinatam tam ante, quam post.

51. In hac evolutione diversorum transituum primi puncti per centrum habuimus jam binos occursus ipsius cum ordinata puncti secundi in B, & A. In primo punctum T debet esse in fig. 5 in B, adeoque in fig. *6* in B, vel *b* : in secundo idem erit in A. Quæcumque sit ratio velocitatum, nimirum quæcumque sit directio rectæ solventis problema parallelæ LD, semper in primo casu habebitur intersectio ipsius cum curva ; quam ibi non poterit simul contingere ea recta ob parallelismum cum recta DL inclinata versus A ; tangens enim in B, vel *b* debet habere inclinationem oppositam. Nullus alius incursus rectæ ejusdem haberi poterit cum arcu BMA, ut nullus novus concursus puncti primi ascendentis per CD in fig. 5 cum ordinata primi puncti percurrentis semicirculum inferiorem BMA. Illa intersectio exhibebit occultationem, utut momentaneam. In secundo casu recta ipsa secabit curvam in A, quæcumque sit ratio velocitatum : sed si velocitates sint æquales ; ipsam ibi simul continget : nam in eo casu erit CL = CD, adeoque angulus CLD semirectus, quæ est inclinatio (num. *16*) tangentis in A ad axem.

52. Pro reliquis occursibus distinguendi sunt ii, qui fiunt in descensu puncti secundi per binos quadrantes DB, BM figuræ 5, quibus respondent arcus DB, BM figuræ *6*, ab iis, qui fiunt in ascensu per MA, AD figuræ 5, quibus in fig. *6* respondent *m*A, AD. Ii arcus figuræ *6* respondent iis arcubus in binis semiconversionibus puncti secundi, quæ fiunt in ea ejus conversione, in

qua

qua primum punctum pervenit ad centrum : si dum idem punctum primum percurrit diametrum totam MD ascensu continuo, punctum secundum perficiat plures revolutiones ; pro singulis quadrantibus singularum conversionum figuræ 5 habebuntur in fig. *6* quadrantes lineæ sinuum ipsis respondentes, qui erunt æquales hisce quatuor, & similiter positi jacentes ad dexteram pro conversionibus præcedentibus, ad lævam pro sequentibus, singuli ad intervalla trium quadrantium intermediorum a singulis ; & quæcunque dicentur de occursibus pertinentibus ad hosce quatuor quadrantes hujus conversionis, eadem habebunt locum in omnibus, qui pertinent ad conversiones reliquas : eos quadrantes, qui redeunt post ternos intermedios, appellabimus similes inter se, nimirum similes non sola magnitudine, quæ est eadem pro omnibus, sed etiam positione.

53. Ad habendam totalitatem motus continuati in eandem plagam pro omnibus casibus oporteret habere arcus curvæ sinuum circulares plurimos, tam præcedentes, quam consequentes, & abire ad illum, qui pertinet ad ingressum primi puncti in M figuræ 5. Is esset unus e præcedentibus ad dexteram similibus arcui *m*A : prima positio puncti secundi haberet punctum sibi respondens in axe, & verticem sui sinus vel in eo arcu curvæ, vel in tribus proxime consequentibus ad lævam, & positio ejus sinus in uno ex iis quatuor arcubus quadrantalibus facile definiri potest ex dato puncto T, quod respondet appulsui primi puncti ad centrum, & data ratione velocitatum. Inde id punctum in axe progrederetur motu continuo ad lævam : transiret per punctum T respondens appulsui puncti primi ad centrum : progrederetur adhuc ad lævam usque ad distantiam ab ipso T æqualem priori, vertice F sui sinus ab ipso secum delati percurrente omnes arcus intermedios (*). Verum hìc referemus omnes diversos casus ad solos binos quadrantes, qui præcedunt immediate, & binos, qui consequuntur punctum A.

54. Si

(*) Puncta curvæ, quæ respondent loco puncti secundi in ingressu puncti primi in diametrum, & egressu ex ipsa, determinabuntur infra num. *99*.

54. Si occursus puncti primi cum ordinata secundi habeatur in descensu hujus per arcus DB, BM figuræ 5; semper habebitur transcursus, illo ascendente, dum hæc descendit. Eum occursum exhibebit in fig. *6* intersectio rectæ solventis problema cum quadrante curvæ DB, vel *bm*, vel cum aliquo e quadrantibus similibus. Sed pro occursibus, qui haberi possint, dum punctum secundum ascendit in fig. 5 per arcus MA, AD, consideranda est velocitas ipsius ordinatæ. Licet punctum secundum moveatur motu uniformi; ordinata perpendicularis diametro MD ducta per id punctum movetur, ut jam diximus, motu admodum inæquali ob diversam inclinationem arcus circuli ad eam diametrum in diversis ejus punctis. Ejus velocitas prope M est infinite parva, tum crescit usque ad A, ac decrescit usque ad D, prope quod punctum evadit iterum infinite parva. Hinc semper in initio ascensus, & fine descensus velocitas ejus ordinatæ est minor, quam velocitas primi puncti ascendentis per diametrum. Si velocitas hujus est major velocitate puncti secundi, vel ipsi æqualis; semper remanet major quam velocitas ordinatæ præter solum punctum A in casu secundo, in quo evadit ipsi æqualis; cum in eo unico puncto ordinata puncti secundi acquirat velocitatem eandem, quam habet id punctum ipsum.

55. Verum si velocitas primi puncti est minor velocitate secundi; tum ante appulsum hujus ad A velocitas ordinatæ evadit æqualis velocitati primi puncti, & incipit esse major usque ad distantiam supra A æqualem ei, ante quam fuerat minor prius. Ea puncta, in quibus velocitas ordinatæ evadit æqualis velocitati primi puncti, dicemus limites æqualitatis inferiorem, & superiorem. Sint ea in fig. 5 F', F. Arcus $AF = AF'$ facile invenitur. Sit (Tab. I fig. 1) ordinata *if* infinite proxima ordinatæ IF; erit velocitas puncti F ad velocitatem ordinatæ IF in ratione ultima lineolæ *Ff* ad *Ii* = FG, sive FH ad FE, quæ ratio ultima desinit in rationem tangentis FT ad FE, sive CF ad CE cosinum arcus AF. Quare erit velocitas puncti secundi ad velocitatem primi, ut radius ad cosinum distantiæ limitum æqualitatis a puncto A.

56. Si

56. Si in fig. *6* punctum E respondeat eidem limiti F figuræ 5; CT evadet major quam CA, abeunte T in rectam A*b*, quia FT debebit evadere tangens: nam est ET ad EF, ut CL ad CD, nimirum ut velocitas puncti secundi (num. 38) ad velocitatem puncti primi; adeoque cum ea sit in eo casu ratio tangentis FT figuræ 1 ad FE, & FE sit utrobique eadem; debebit esse ET figuræ *6* æqualis tangenti FT figuræ 1: hinc (num. 12) ipsa ET figuræ *6* debebit esse subtangens lineæ sinuum, & FT tangens, puncto T cadente extra basim BA. Quo autem ratio velocitatum magis accedit ad æqualitatem, eo ii arcus AF, AF' in fig. 5 evadunt minores ob cosinum majorem, qui in casu velocitatum æqualium evanescunt, facto cosinu æquali radio, & in casu velocitatis puncti secundi minoris evadunt impossibiles.

57. Jam vero in ascensu puncti secundi cum sua ordinata duplex habetur casus respectu puncti primi pariter ascendentis: vel enim ea ordinata præcedit id punctum, vel consequitur. Concursus haberi non potest, nisi in primo casu hoc velocius assequatur illam lentiorem, & in secundo illa velocior assequatur ipsum lentius. Cum id punctum non sit velocius, nisi ante primum limitem æqualitatis, & post secundum; non potest in primo casu illam assequi, nisi vel ante appulsum ad primum limitem, vel in ipso primo limite, vel post limitem secundum: illa autem in secundo non poterit ipsum assequi, nisi inter binos limites, vel in ipso limite secundo. Cum punctum primum appellit ad ordinatam ante limitem primum, vel post secundum, debet transcurrere ultra ipsam: si id accidat ante; habebitur disparitio, plano annuli abeunte inter punctum secundum, & solem: si id accidat post limitem secundum; habebitur apparitio, eo plano abeunte ultra id punctum respectu solis. Pariter dum ordinata appellit ad punctum primum inter binos limites, debet transcurrere ultra ipsum: si id fiat ante appulsum primi puncti ad centrum; habebitur apparitio, puncto secundo subeunte inter id planum, & solem: si id fiat in ipso transitu primi puncti per centrum; habebitur disparitio, sed momentanea, ut vidimus num. 50: si fiat post transitum puncti primi per centrum, ha-

bebitur disparitio, puncto secundo abeunte ultra id planum respectu solis.

58. Considerationem peculiarem merentur bini reliqui casus, in quorum primo punctum advenit ad ordinatam in ipso limite primo, in secundo ordinata ad ipsum in limite secundo. Habetur quidem in iis concursus, sed sine transitu: nam in priore punctum, quod prius erat velocius, incipit ibi esse lentius, adeoque relinquitur infra ab ordinata præcurrente, & in posteriore idem accidit ordinatæ, quæ ibi incipit esse lentior, adeoque remanet inferior ipso præcurrente. Hinc in utroque casu pro disparitione, quæ habuisset locum, si punctum primum transcurrisset ultra ordinatam, vel ordinata ultra id punctum, continuatur apparitio: annulus latet eo momento, in quo ordinata transit per punctum ipsum, sed apparet & ante, & post, eâdem ordinatâ jacente inter id punctum, & solem.

59. Si in priore casu punctum transcurrat ultra ordinatam paullo ante primum limitem; tum ordinata poterit transcurrere ultra ipsum paullo post, & habebitur disparitio, consequente paullo post nova apparitione, & si in casu posteriore ordinata transcurrat ultra punctum paullo ante limitem secundum, tum ipsum punctum poterit transcurrere ultra ordinatam paullo post, adeoque pariter brevi disparitioni succedet apparitio. Sed si primum punctum post ordinatam non attingat ipsam ante limitem primum, vel ordinata currens post punctum non attingat ipsum ante limitem secundum; tum in ipso limite habebitur distantia minima, quæ prius minuebatur ob velocitatem consequentis majorem, postea vero iterum augetur ob eandem factam iterum minorem.

60. Omnes occursus, qui fiunt extra limites cum transcursu, exhibentur a recta solvente problema per ejus intersectionem cum curva, & respondent radicibus æquationis realibus inæqualibus in Algebra: occursus facti in binis limitibus sine transcursu exhibentur a contactu curvæ facto ab ea recta juxta num. 56, & æquivalent binis radicibus æqualibus: accessus mutuus cum sola distantia minima sine transcursu exhibetur a recta transeunte extra arcum ultra tangentem cum accessu anteriore ad curvam convexam ver-

versus ipsam rectam, & recessu posteriore, quod respondet radicibus Algebræ imaginariis, in quibus omnibus mira ubique habetur Geometriæ analogia cum Algebra..

61. Occursus in eadem semiconversione puncti secundi per semicirculum MAD figuræ 5 haberi nequit in utroque limite; quia si is habeatur in limite primo, in quo punctum primum adveniat ad ordinatam; ipsa ordinata ibi facta celerior, manente excessu celeritatis usque ad limitem secundum, adveniet ad hunc limitem ante id punctum. Adeoque ut habeatur occursus in hoc secundo limite, oportet in transitu ordinatæ per limitem primum id punctum jam fuerit altius ipsâ. Verum post occursum factum in priore limite, fieri potest, ut dum punctum secundum post unam, vel etiam plures conversiones integras rursus ascendit, ordinata instans a tergo eidem puncto primo lentius ascendenti ipsum assequatur etiam in limite secundo. Eum casum exhiberet recta tangens binos arcus alterum superiorem, alterum inferiorem: sed in eo casu haberi deberet unus occursus etiam in transitu primi puncti per centrum, appellente secundo vel ad A, vel ad B. Id patet ex eo, quod tam punctum primum, quam ordinata puncti secundi debet impendere idem tempus in ascensu a primo limite ad centrum, & a centro ad secundum. Adeoque si pro primo puncto accedant adhuc plures conversiones integræ; dimidium temporis intermedii requiret totidem semiconversiones, post quarum numerum imparem erit ipsum punctum secundum in B, post numerum parem in A. Id congruit cum num. 25, per quem recta solvens problema non poterit contingere curvam bis, nisi ipsam simul secet in aliquo ex ejus appulsibus ad axem, & bini contactus pertineant ad binos arcus oppositos æque distantes hinc & inde ab ea intersectione..

62. Consideremus (*) jam seriem casuum, qui possint accide-

(*) Quæ habentur hic usque ad num. 73, omitti possunt ab eo, qui tantum quærat theoremata exposita; nam numerus & qualitas occursuum, de quibus hic agitur, multo facilius, & prorsus accurate determinatur ibi ope curvæ sinuum: adhuc tamen nec inutilia erunt, nec injucunda iis, qui methodorum varietate, & consensu delectantur.

re toto tempore, quo punctum primum percurrit diametrum MD. Ubicumque fuerit punctum secundum in appulsu primi ad M, quæcunque fuerit ratio velocitatum, debebit semper haberi saltem unus hujus occursus cum ordinata illius; cum debeat abire ultra ipsam, ut evadat ultra totum circulum. In casu, in quo ejus velocitas est major, vel æqualis velocitati puncti secundi, haberi non poterit nisi unicus occursus; quia sive is fiat in descensu, sive in ascensu ordinatæ, hæc in iis casibus semper lentior non poterit assequi ipsum semel altius. At in casu velocitatis primi puncti minoris haberi poterunt occursus plurimi, ut jam diximus. Non solum in singulis conversionibus, quæ a puncto secundo fiant integræ, dum primum moratur in ea diametro, debent haberi saltem singuli occursus; sed in singulis semiconversionibus factis interea ascendendo per MAD, vel descendendo per DBM habebuntur saltem singuli occursus. In descensibus singulis habebuntur tantummodo singuli; cum post occursum ordinata pergat descendere, & punctum primum ascendere: at in ascensibus singulis fieri poterit, ut non habeatur nisi unicus, vel ut habeantur duo, vel etiam tres.

63. Occursus erit unicus in ascensu puncti secundi cum transcursu; si punctum primum assequatur ordinatam ante primum limitem, tum ita assurgat, ut adveniat ad secundum, antequam ordinata ipsum assequatur. Id accidet, ubi excessus velocitatis puncti secundi fuerit exiguus; tum enim punctum primum transcurret totam diametrum, antequam punctum secundum absolvat unicam semiconversionem. Habebitur itidem unicus occursus sine transcursu; si is fiat in ipso limite primo, tum ordinata ita celeriter ascendat, ut incipiat descendere, antequam punctum secundum possit ipsam assequi. Habebitur unicus cum transcursu; si ordinata assequatur punctum inter binos limites, tum itidem perficiat ascensum antequam possit punctum primum eam attingere: unicus habebitur sine transcursu; si ordinata assequatur punctum primum in limite secundo: demum unicus cum transcursu, si punctum secundum primo pertingat ad ordinatam post limitem secundum, quin in eam ascendentem prius inciderit, qui

po-

postremus casus itidem haberi non poterit, nisi in exiguo velocitatum discrimine, puncto secundo non absolvente integrum ascensum, dum punctum primum percurrit totam diametrum.

64. Bini occursus haberi poterunt cum transcursu, si punctum primum transcurrat ultra ordinatam ante primum limitem, & ordinata ultra ipsum post, quin in toto reliquo ascensu hoc illam possit assequi, licet iterum occurrat ipsi jam descendenti: bini haberi poterunt, alter sine transcursu in primo limite, alter cum transcursu post secundum; sed id ipsum non accidet, nisi in exiguo discrimine velocitatum, puncto primo transcurrente totam diametrum, antequam punctum secundum absolvat totum ascensum: bini habebuntur cum transcursu; si ordinata assequatur punctum ante secundum limitem, & punctum transeat ultra ipsam post eum limitem. Demum habebuntur tres occursus cum transcursu; si punctum adveniat ad ordinatam ante primum limitem, ordinata ad punctum inter duos limites, punctum ad ordinatam iterum post limitem secundum.

65. In hoc postremo casu, ut fere in omnibus præcedentibus, integer ascensus puncti secundi non fiet puncto primo transcurrente diametrum; cum ii casus fere omnes requirant vel ingressum puncti primi, dum jam secundum ascendit, vel egressum antequam id perficiat ascensum. Ut totus ascensus puncti secundi fiat, dum punctum primum moratur in diametro; debet in initio ejus ascensus punctum ipsum vel esse in ipso ingressu in M, vel altius: præterea debet punctum secundum devenire ad limitem secundum antequam punctum primum assurgat ad eam altitudinem, quia si punctum primum eo adveniat simul, vel ante, evadet e tota diametro antequam punctum secundum perficiat totum ascensum. Si bina puncta sint simul in ipso ingressu puncti primi in M; is occursus poterit tribui descensui præcedenti, ad quem itidem pertinere potest, cum fiat in ejus fine. Post eum occursum factum in eo initio, debebit fieri alter, & is unicus inter duos limites. Novus occursus fieri non poterit, nisi post limitem primum, quia debet ordinata ipsum transcurrere, ut facta velocior possit assequi punctum præcedens: debebit fieri ali-

alicubi, cum ordinata debeat absolvere ascensum, dum id adhuc moratur in diametro: id autem debet accidere ante limitem secundum, dum adhuc ordinata est velocior: nec potest fieri in limite secundo; nec posteaquam est factum ante limitem secundum, potest haberi novus occursus post ipsum, quia in utroque casu punctum primum jam celerius evaderet e diametro antequam absolveretur hujus ascensus. Quare attributo præcedenti descensui eo occursu, qui forte fiat in fine ipsius, non poterunt haberi nisi singuli occursus in iis ascensibus singulis, qui toti fiant puncto primo percurrente diametrum, ut non nisi singuli in singulis descensibus. Habebuntur autem omnino in singulis singuli.

66. Non solum in quovis descensu integro puncti secundi habebitur occursus, & is unicus cum transcursu; sed etiam in quavis ejus parte postrema, intra quam id punctum incipiat ascendere, vel prima, intra quam id desinat ascendere: nam in utroque casu in initio ejus partis ordinata erit altior, & in fine depressior eo puncto. At in eo ascensu, cujus habeatur pars, poterunt haberi occursus tres, vel duo, vel unus, vel etiam nullus, qui postremus casus haberetur, si punctum primum evaderet e diametro antequam ordinata subsequens ad ipsum pertingeret. In parte tamen ascensus, quæ incipiat, puncto primo jam ingresso diametrum, non poterunt haberi tres; quia non poterit haberi ea, quæ præcedit limitem primum, ante quem ordinata movetur lentius, quam punctum primum jam præcedens. Numerus occursuum pendebit a magnitudine ejus partis ascensus, & ratione velocitatum, quæ determinat limites æqualitatis, ac in singulis casibus facile definiri poterit.

67. Porro ex iis, quæ dicta sunt, facile definiri potest, quot occursus haberi omnino debeant, quot possint, ubi detur ratio velocitatum, & positio puncti secundi in circulo pro eo momento, quo punctum primum ingreditur diametrum. Sit velocitas puncti primi ad velocitatem secundi, ut 1 ad m: punctum secundum in toto ascensu primi percurret diametros numero m: quorum quævis cum contineat gradus 114, minuta 36, sive adhibitis decimalibus

libus 114,6, percurret gradus 114,6*m*. Et quidem hæc ipsa formula exhibebit locum puncti secundi in ingressu primi ex loco illius in appulsu hujus ad centrum, quo usi sumus in fig. 5 pro puncto T: satis erit ab eo loco abire ordine retrogrado per gradus 57,3*m*, qui respondent ascensui per radium, sive abire per excessum hujus numeri supra integras circumferentias graduum 360.

68. Si eo momento, quo punctum primum ingreditur diametrum, punctum secundum est in descensu, dicatur *c* numerus graduum ab initio ejus descensus, & si id est in ascensu, dicatur itidem *c* numerus graduum ab initio ascensus. Addito eo numero, habebitur ab initio descensus, vel ascensus præcedentis numerus graduum $114,6m + c$. Dividatur is per 180, & numerus integer quoti sit *n*, residuum *r*. Considerentur casus quatuor: 1. pertineat *c* ad descensum, & sit *n* numerus par: 2. pertineat *c* ad descensum, & sit *n* numerus impar: 3. pertineat *c* ad ascensum, & sit *n* par: 4. pertineat *c* ad ascensum, & sit *n* impar.

69. In primo casu residuum *r* pertinebit ad descensum, & habebuntur integri ascensus $\frac{1}{2}n$, descensus integri $\frac{1}{2}n - 1$ cum parte primi residua post *c*, & parte postremi *r*. Singuli ascensus, & descensus integri debent habere singulos occursus, & binæ illæ partes descensuum singulæ itidem singulos. Quare in hoc primo casu habebuntur occursus numero $n + 1$, qui omnes erunt cum transcursu.

70. In secundo casu pertinebit residuum *r* ad ascensum: habebuntur descensus integri $\frac{1}{2}(n - 1)$ cum parte postrema primi residua post *c*, & ascensus integri $\frac{1}{2}(n - 1)$ cum parte prima *r* novi ascensus. Hinc habebuntur necessario occursus $n - 1$ pertinentes ad descensus, & ascensus integros, tum 1 pertinens ad partem descensus, adeoque necessario habebuntur occursus *n*: in parte ascensus postrema, si ea non sit satis magna, nullus habebitur, quia antequam ordinata adveniat ad limitem superiorem, jam punctum primum habebit partem residuam diametri exiguam, adeoque jacebit jam ultra eum limitem, & evadet sine novo occursu: si ea pars sit ingens, habebuntur fere semper binæ paul-

lo

lo ante, & paullo post limitem superiorem, vel unica in eo ipso limite: tres haberi non poterunt juxta num. *66.*

71. In tertio casu pertinebit ad ascensum etiam r: habebuntur ascensus integri $\frac{1}{2}n - 1$ cum binis partibus, ac descensus integri $\frac{1}{2}n$. Hinc occursus respondentes ascensibus, & descensibus integris saltem $n - 1$. Binis partibus ascensus poterit non respondere ullus occursus; sed poterit respondere vel unicus sine transcursu in solo limite inferiore, vel bini cum transcursu ante, & post ipsum, vel bini cum transcursu prope solum limitem superiorem ante, & post; vel bini sine transcursu in binis limitibus, vel quatuor, nimirum bini circa utrumque limitem. Facile esset ex sola ratione velocitatum, & magnitudine utriusque partis determinare ipsum numerum eorum occursuum. Satis erit determinare locum puncti primi in diametro in appulsu ordinatæ ad binos limites, quod facile fit, cum, data ratione velocitatum, habeatur arcus distantiæ utriusque limitis a puncto medio A, & ex ratione velocitatum habeatur pars diametri jam percursa, vel percurrenda a puncto primo.

72. In quarto casu pertinebit r ad descensum. Quare habebuntur tam ascensus quam descensus integri $\frac{1}{2}(n - 1)$ cum parte r descensus novi superiore, & parte ascensus primi superiore itidem, nimirum residua ad partem c jam absolutam. Hinc necessario habebuntur occursus n cum transcursu, quibus poterunt accedere vel nullus, vel 1, vel 2, vel 3 in illa parte residua ascensus primi.

PROBLEMA III.

73. *Evolvere ope curvæ sinuum casus præcipuos.* Expositis paullo fusius iis, quæ pertinent ad diversos casus; jam evolvemus præcipuos eorum ope schematum, quæ ipsos melius subjiciant oculis ipsis.

74. Quod pertinet ad casum velocitatis primi puncti majoris velocitate secundi, vel ipsi æqualis, videre est in fig. *6.* Erit ibi CD major, vel æqualis CL, adeoque angulus CLD major, vel æqualis semirecto. Hinc ubicumque sit punctum T,

recta

recta parallela DL secabit curvam in puncto unico, quam tanget quidem, sed simul etiam secabit in casu æqualitatis, puncto T abeunte in A. Quamobrem in utroque casu habebitur semper occursus, isque unicus, & cum transcursu.

75. Si velocitas puncti secundi fuerit major; tum CL erit major quam CD, & angulus CLD minor semirecto: habebuntur binæ tangentes ejus directionis habentes eam rationem subtangentis ad ordinatam juxta num. 17, quæ facile invenientur sumendo in fig. 7 AE, AE' æquales arcui, cujus cosinus ad radium sit, ut velocitas puncti primi ad velocitatem secundi, qui arcus in fig. 5 est distantia limitis utriuslibet a puncto A. Erectis ordinatis EF, E'F', quæ erunt eorum arcuum sinus, & assumptis ET', E'T, quæ sint æquales tangenti ejusdem arcus, habebunt FT', F'T directionem, quam debet habere recta solvens problema, & AT, AT' erunt excessus tangentis ejus arcus supra ipsum inveniendi juxta num. 18. Si ratio velocitatis puncti secundi ad velocitatem primi fuerit nimis magna; accedet AE ad quadrantem, & excessus tangentis supra ipsum erit ingens, adeoque AT, AT' poterunt ita excrescere, ut abeant ultra arcus plurimos. Figura 7 exprimit casum, in quo ea ratio non est nimis magna; ac idcireo ibi puncta T', T cadunt in bases A*b*, AB, qui quidem est casus theoriæ applicatæ ad phænomena observanda e terra.

76. Jam vero ipsæ rectæ F'T', FT producta occurrent adhuc arcubus A*mb*, ADB in *f'*, *f*. Concipiantur rectæ in eadem directione ductæ per *b*, per quodvis punctum *r*1 segmenti *b*T', per T', per quodvis punctum *r*2 segmenti T'A, per A, per quodvis punctum *r*3 segmenti AT, per T, per quodvis punctum *r*4 rectæ TB: punctum B respondet eidem puncto circuli figuræ 5 ac *b*, adeoque consideratâ rectâ, quæ transit per *b*, non est considerandæ alia transiens per B. Prima ducta per *b* secabit curvam in eodem unico puncto *b*: recta quævis ducta per *r*1, vel *r*4 secabit itidem in unico puncto *n*1, vel *n*4: recta ducta per T, vel T' tanget curvam in F', vel F, & simul secabit in *f*, vel *f'*: recta ducta per *r*2 secabit arcum superiorem in binis punctis *n*2, *n'*2, & inferiorem in unico *n''*2: recta ducta per A se-

cabit curvam ibidem, & præterea arcum superiorem in Q, inferiorem in *q* : recta ducta per *r*3 secabit superiorem in unico puncto *n*3, & inferiorem in binis *n*'3, *n*"3.

77. Inde vel sine constructione facile calculo numerico inveniuntur numeri, & species occursuum, qui respondent omnibus positionibus puncti, per quem ducenda est recta solvens problema, nimirum omnibus positionibus puncti T in fig. 5. Si id sit in fig. 7 in *b*, vel distet ab A utravis ex parte magis, quam per illam AT inventam, habebitur unicus occursus in fig. 5 cum transgressu expressus ab intersectione in *b*, vel *n*1, vel *n*4 : si illud sit in ea distantia, ut in T, vel T', habebitur unus occursus cum transgressu respondens intersectioni *f*, vel *f*', & alius sine transgressu respondens contactui F', vel F : si illud habuerit distantiam ab A minorem ; habebuntur tres occursus cum transgressu expressi per tres intersectiones in *n*2, *n*'2, *n*"2, vel Q, A, *q*, vel *n*3, *n*'3, *n*"3. Quare si capiantur in fig. 5 arcus hinc & inde ab A æquales excessui illi tangentis supra arcum distantiæ puncti limitis ab A ; habebuntur ibi arcus pro situ puncti secundi in appulsu primi ad centrum exhibente unicum occursum cum transgressu, vel binos, quorum alter cum transgressu, alter sine, vel ternos cum transgressu. Perpendicula vero ex iis punctis intersectionum, vel contactuum demissa in axem figuræ 6 definirent ipsa puncta circumferentiæ figuræ 5, in quibus ii occursus acciderent, ad quæ puncta invenienda hac methodo requireretur constructio, quæ non requiritur ad determinandos tantummodo eos arcus, & puncta, in quibus habetur una solutio realis, vel duæ, quarum altera æquivalet binis, vel tres ; nam ad eam rem sufficit inventio arcus, cujus cosinus sit ad radium, ut est velocitas puncti primi ad velocitatem secundi, & excessus ejus tangentis supra arcum redactus ad valorem arcus circularis juxta num. 18.

78. Ibidem si *r*2, *r*3 sint puncta proxima punctis T', T, in quæ desinant ; binæ intersectiones *n*2, *n*'2, vel *n*'3, *n*"3 abirent in contactum F, vel F' : & *n*1*r*1, *n*4*r*4 productæ, ac transeuntes extra arcus ultra contactus F, F' exhibent binos concursus post

coa-

coalescentiam factos impossibiles, cum distantia minima determinata ab ipso contactu juxta num. 60.

79. In fig. 8, & 9 (*) exhibentur tangentes transeuntes per aliquam intersectionem curvæ cum axe, quæ habent binos contactus oppositos ad distantiam æqualem hinc & inde: & in fig. 8 is transitus fit per punctum A, in fig. 9 fit per punctum *b*. In fig. 8 exhibentur binæ rectæ transeuntes per A, quæ tangunt binos arcus oppositos ad distantiam hinc & inde æqualem, prima secundum superiorem ad lævam in P', & secundum inferiorem ad dexteram in *p*', secunda hinc tertium superiorem in P, & inde tertium inferiorem in *p*. Infinitæ aliæ tangerent quartum, quintum, sextum, & ita porro. In fig. 9 exhibentur itidem binæ transeuntes per *b*, quarum prima tangit primum superiorem in P', & secundum inferiorem in *p*', secunda secundum superiorem in P, & tertium inferiorem in *p*, ac infinitæ aliæ itidem transeuntes per *b* tangerent tertium, quartum, quintum superiorem, quartum, quintum, sextum inferiorem. Hæc respondent iis, quæ dicta sunt num. 25, & 61.

80. Ii casus respondent determinatis quibusdam rationibus velocitatum determinantibus quasdam inclinationes rectæ solventis problema: rationes intermediæ, & inclinationes intermediæ exhibent singulæ non unicam tangentem binorum arcuum, sed binas tangentes binorum parallelas: ibi considerandi erunt bini casus præcipui, in quorum altero tangens arcuum superiorum occurret axi in basi arcus superioris, & tangens inferiorum in basi arcus inferioris: in altero tangens arcus superioris occurret axi in basi arcus inferioris, & tangens inferioris in basi superioris: eos casus exhibemus in fig. 10, & 11.

81. Data ratione velocitatum facile invenitur, ad quam ex iis quatuor speciebus pertineant tangentes ipsis respondentes: an transeant per aliquod e punctis A, *a*, an per aliquod B, *b*, an per

(*) In hisce, & binis sequentibus figuris juxta adnotationem ad num. 37 factæ sunt bases AB, A*b* cum præcedentibus, & sequentibus multo breviores justo ob rationem ibi expositam.

basim alicujus arcus suæ speciei, nimirum tangens superioris per basim superioris, & tangens inferioris per basim inferioris; an transeant per basim alicujus arcus contrarii. Sit ratio velocitatis puncti primi ad velocitatem secundi, ut 1 ad m: ea erit num. 56 ratio ordinatæ lineæ sinuum ad subtangentem. Hinc si juxta numer. 18 capiatur arcus, cujus cosinus ad radium = 1 sit $\frac{1}{m}$, ac is redactus ad minuta dicatur a, ejus vero tangens ad radium 1 sit t; erit $3438t - a$ distantia occursus tangentis lineæ sinuum cum axe ab initio arcus contacti. Is numerus dividatur per 10800 numerum minutorum semicircumferentiæ; & quotus dicatur e. Si divisio fuerit accurata sine residuo; tangens transibit per unam ex intersectionibus curvæ cum axe: si habeatur residuum; occursus tangentis cum axe cadet inter binas ejusmodi intersectiones intra basim arcus cujuspiam. Quotus e exhibebit numerum semicircumferentiarum, sive basium pertinentium ad arcus semicirculares ab initio arcus contacti usque ad occursum tangentis cum axe, qui si fuerit par, is concursus erit in aliquo e punctis A, a, ut in fig. 8 in A: si is quotus fuerit impar; abibit tangens in aliquod e punctis B, b. Si in divisione habeatur residuum; abibit ipsa tangens in casu numeri e imparis in basim arcus ejusdem directionis, ut in fig. 10: in casu vero numeri e paris abibit in basim arcus directionis contrariæ, ut in fig. 11.

82. In fig. 8 pro tangente P'Ap' quotus e erit = 2, pro PAp = 4: at in fig. 9 pro P'bp' erit e = 1, pro Pbp = 3. In fig. 10 binæ tangentes parallelæ sunt PG, pg: quotus e ibi erit impar, & exhibebit pro priore, quæ tangit arcum superiorem B"D"A", tres bases A"B', B'A', A'B: idcirco ibi G cadit in basim arcus ADB itidem superioris, ac pro posteriore, quæ tangit arcum inferiorem $a"m"b"$ exhibebit tres bases $a"b'$, $b'a'$, $a'b$, & idcirco ibi g cadit in basim bA arcus bmA itidem inferioris: residuum autem ex divisione exhibebit in priore casu BG, in posteriore bg, quæ sunt supplementa arcuum AG, Ag. In fig. 11 binæ tangentes parallelæ sunt itidem PG, pg; sed ibi quotus e erit par, & exhibebit bases quaternas hinc A"B', B'A', A'B, BA, inde

inde $a''b', b'a', a'b, bA$, cadente G in basim arcus inferioris Amb, & g in basim arcus superioris ADB, residua autem sunt ipsæ distantiæ AG, Ag ab A.

83. *Schol.* Sola inspectione harum quatuor figurarum facile cognoscitur numerus, & qualitas occursuum primi puncti cum ordinata secundi. In iis omnibus figuris arcus $m'a'd$, mAD, MA'D', & iis similes respondent ascensui puncti secundi in fig. 5 per semicirculum MAD; arcus vero dbm, DBM, & iis similes descensui per DBM ipsius figuræ 5.

84. Porro patet, in fig. 8, vel 9 omnes arcus tam ascensuum, quam descensuum intermedios ab A, vel b usque ad eos, qui habent contactus oppositos P, p, debere habere unam intersectionem, quibus accedit intersectio in A, vel b cum binis contactibus in P, p. Post singulas bases semicirculares occurrunt singuli ejusmodi arcus, adeoque computatis etiam postremis contactuum, habentur arcus numero $2e$, existente e numero integro fractionis $\frac{3438t - a}{10800}$ (num. 81). Quare ubi valor ejus fractionis est numerus integer, habebuntur intersectiones $2e - 1$ cum binis contactibus; id habebit locum existente præterea in fig. 5 in appulsu puncti primi ad C puncto secundo in A, vel B, quo casu recta solvens problema debet duci per A, vel b posteriorum figurarum. Quod si punctum secundum fuerit ubicunque alibi in appulsu primi ad C; numerus intersectionum erit $2e + 1$ sine ullo contactu. Si enim ipsum punctum secundum fuerit tum in arcu ADB in fig. 5 in T, vel in AMB in T'; punctum, per quod ea recta duci deberet in figuris reliquis, erit vel in basi AB, vel in Ab. Porro recta parallela Pp transiens per quodvis punctum basis AB figuræ 8, vel basium AB, Ab figuræ 9 secabit omnes eosdem arcus, & pro contactu P' arcus postremi superioris ad lævam habebit binas intersectiones intra ipsum, sed ex parte dextera evitabit arcum postremum inferiorem transiens respectu ipsius infra p. Recta autem parallela ipsi Pp ducta in fig. 8 per aliquod punctum basis Ab evitabit ipsum arcum postremum ad lævam transiens supra contactum P, & secabit arcum postremum ad dexteram in duobus punctis supra p.

85. Hinc

85. Hinc quotiescumque divisio valoris $3438t - a$ per 10800 habebit pro quoto numerum e accuratum sine residuo; habebuntur occursus $2e + 1$ primi puncti cum ordinata secundi: eorum bini erunt in ipsis limitibus æqualitatis sine transcursu, si unus ex occursibus sit, puncto primo deveniente ad centrum: puncto secundo existente tunc alibi, omnes occursus erunt cum transcursu.

86. In fig. 10 GP debet secare omnes arcus descensuum, & ascensuum, qui occurrunt a G ad lævam usque ad postremum, quem tangit in P; sunt autem totidem, quot bases, nimirum e, & idem præstat gp ex parte dextera: debet autem utraque secare ex parte opposita totidem præter mAD. Quare utraque habebit intersectiones $2e + 1$, & præterea unum contactum. Quævis recta parallela ipsis secans axem in quovis puncto segmenti Gg secabit eosdem arcus, evitando tam contactum P, quam p, adeoque habebit solum intersectiones $2e + 1$. Quævis autem transiens per quodvis punctum segmenti BG, ut per T, incluso B, substituet contactui P binas sectiones, & quævis transiens per puncta segmenti bg, incluso b, substituet contactui p binas sectiones, adeoque habebit intersectiones $2e + 3$.

87. Inde eruitur hujusmodi regula. Quotiescumque illa divisio habebit quotum imparem cum residuo, habebuntur saltem occursus $2e + 1$ cum transcursu, & is erit numerus omnium occursuum, si in appulsu primi puncti ad centrum in fig. 5 punctum secundum distiterit ab A per arcum AT, vel AT' minorem supplemento residui ejus divisionis: accedet iis unus occursus sine transcursu, si ea distantia ab A fuerit æqualis illi supplemento residui: habebuntur occursus $2e + 3$ cum transcursu, si ea distantia ab A fuerit major.

88. In fig. 11 a G usque ad P habebuntur tot intersectiones, quot arcus ascensuum, & descensuum, nimirum quot bases, sive e, cum contactu postremi, & ex parte opposita accedet una ultra p, adeoque habebuntur intersectiones $2e + 1$ cum uno contactu in P, quod accidet iterum rectæ pg. Pro rectis omnibus intermediis, quæ secabunt axem inter G, & g, contactui P, vel p succedent binæ intersectiones, quæ idcirco erunt $2e + 3$:

rectæ

rectæ autem transeuntes per *b*G incluso *b* amittent contactum P abeuntes supra ipsum, & rectæ transeuntes per Bg amittent contactum *p* abeuntes infra ipsum; adeoque habebunt tantummodo intersectiones $2e + 1$.

89. Quare habebitur hujusmodi regula. Si quotus ejus divisionis fuerit numerus par cum residuo, habebuntur occursus $2e + 1$ cum transcursu, puncto secundo distante a puncto A in appulsu puncti primi ad centrum per distantiam majorem residuo divisionis; tum $2e + 2$, quorum unus sine transcursu, eâ distantiâ existente æquali eidem quoto; ac demum $2e + 3$ omnes cum transcursu, eadem distantia existente minore.

PROBLEMA IV.

90. *Exhibere numerum, & qualitatem occursuum puncti primi cum ordinata secundi, qui haberi debeant, pro omni diverso genere casuum.*

91. Solutio hujus problematis continetur in superioribus omnibus, quorum fructum hic colligemus proponendo regulas generales erutas e singulis determinationibus jam factis. Si velocitas puncti primi sit major velocitate puncti secundi, vel ipsi æqualis; habebitur semper occursus cum transcursu, isque unicus (num. 74).

92. Si velocitas puncti primi sit minor; fiat, ut velocitas puncti secundi ad velocitatem primi, ita radius ad cosinum anguli, qui reductus ad minuta dicatur *a*, ac ejus tangens *t* (num. 75, & 87). Dividatur valor $3438t - a$ per 10800, & quotus integer dicatur *e*, ac distinguantur casus 4. In 1 sit *e* numerus par sine residuo, in 2 impar sine residuo, in 3 impar cum residuo, in 4 par cum residuo. In singulis casibus oportet considerare locum puncti secundi pro eo momento, quo punctum primum devenit ad centrum: eum, quem id punctum tum occupat in fig. 5, intelligemus, cum dicemus locum puncti secundi.

93. In primo, & secundo casu numerus occursuum erit $e + 1$, quorum duo soli erunt sine transcursu; si locus puncti secundi fuerit A, vel B: omnes erunt cum transcursu; si is locus fuerit ubivis alibi in T, vel T' (num. 85).

94. In

94. In tertio casu occursus erunt vel $2e + 1$ omnes cum transcursu, vel $2e + 2$, quorum unus solus sine transcursu, vel $2e + 3$ omnes cum transcursu; prout distantia AT, vel AT' loci puncti secundi ab A fuerit minor supplemento residui illius divisionis, vel ipsi æqualis, vel eo major (num. 87).

95. In quarto casu occursus erunt $2e + 1$ omnes cum transcursu, vel $2e + 2$, quorum unus sine transcursu, vel $2e + 3$ omnes cum transcursu; prout e contrario distantia AT, vel AT' loci puncti secundi ab A fuerit major, æqualis, vel minor respectu residui illius divisionis (num. 89).

96. *Schol.* 1. Numerus occursuum respondet numero radicum realium æquationis, quæ exprimat conditiones ejus problematis; sed occursus, qui fiunt sine transcursu, in hisce postremis quatuor casibus, & determinantur a contactu, non ab intersectione, respondent singuli radici duplici, & occursus, qui in casu velocitatum æqualium est quidem cum transcursu, sed exhibetur a recta tangente simul in fig. 6, & secante curvam in A, respondet radici triplici.

97. Æquatio respondens ei problemati invenitur admodum facile. Fiat in fig. 5 arcus $AT = b$, qui si sit AT', erit b valoris negativi, & arcus $AF = z$, ac ratio velocitatis puncti primi ad velocitatem secundi 1 ad m. Erit $CI = sin.z$, $TF = z - b$. Est autem (num. 39) $1 : m :: CI : TF$. Quare erit $msin.z = z - b$, sive $msin.z - z + b = 0$. Hæc æquatio cum habeat mixtum arcum cum sinu, est transcendens, & requirit quadraturam circuli: idcirco requirit curvam transcendentem, ut est linea sinuum, ad inventionem radicum per constructionem. Supposita autem ratione diametri ad circumferentiam, quæ exhibet numerum minutorum contentum in radio circuli, invenitur numerus radicum realium per considerationem curvæ sinuum methodo multo simpliciore, quam per calculum, qui ad eam rem debet esse sublimior.

98. *Schol.* 2. Si e punctis P, *p* ducatur, ut in fig. 10, recta PE, *pe* perpendicularis in axem; puncta E, *e* respondebunt limitibus æqualitatis figuræ 5 (num. 75), & valor $A''E = a''e$ erit $= a$,

$= a$, nimirum valor arcus, cujus cosinus ad radium est ut velocitas puncti primi ad velocitatem secundi. Quare habebuntur e scala partium axis puncta E, *e* ad determinanda accuratius per constructionem ipsa puncta contactuum: habebitur itidem recta PE, & *pe* sinus arcus inventi *a*. Bini arcus A''E, *a''e* pertinebunt ad ascensum indicatum ab arcubus curvæ *pa''*, A''P, & habebunt directiones oppositas.

99. Dato loco puncti secundi (*) in fig. 1, adeoque & in posterioribus, facile invenietur in his per constructionem, & per calculum numericum punctum, quod in axe respondet loco puncti secundi in ingressu puncti primi in M figuræ 5, & punctum, quod respondet ejus egressui ex D. Si T sit ibi locus puncti secundi in appulsu primi ad centrum; invenietur in reliquis punctum axis, ipsi respondens, ut T in fig. 10, capiendo in his rectam AT æqualem arcui AT figuræ 5 ex scala partium axis respondente partibus arcus circularis, nimirum valorem *b* numeri 97: tum factis, ut velocitas primi puncti ad velocitatem secundi, ita radius circuli ad quartum terminum, hic erit recta æqualis arcui, quem in peripheria circuli percurrit punctum secundum, dum punctum primum percurrit ejus radium. Quare satis erit assumere TR ad lævam in fig. 10, & T*r* ad dexteram æquales rectæ inventæ: erunt enim *r*, & R bina puncta quæsita.

100. Ductis RL, *rl* perpendicularibus ad axem, & æqualibus radio circuli, determinaretur etiam positio rectæ LT*l* solventis problema. Ea positio potest etiam determinari immediate, determinando ope calculi numerici angulum RTL factis, ut velocitas puncti secundi ad velocitatem primi, ita radius ad tangentem ejus anguli. Cum vero ea sit etiam ratio radii ad cosinum arcus *a*, capiendus erit angulus, cujus tangens æquatur sinui ipsius *a*, eodem numero exhibente utrumque in tabula sinuum. Productis *lr*, LR

(*) Oportet meminisse, locum puncti secundi appellatum esse numero 92 punctum illud figuræ 5, ad quod id ibi devenit tum, cum punctum primum appellit ad centrum. Eo dato in fig. 5, habetur etiam in reliquis punctum ipsi respondens, assumpto in iis segmento axis æquali arcui, quo illud punctum distat in ipsa figura a suo A.

usque ad curvam in *u*, V, sola curva ab *u* usque ad V responderet ei casui rationis velocitatum, & loci puncti secundi in appulsu primi ad centrum (*): positio punctorum *u*, V respectu punctorum *m*, *d*, M, D exhiberet residua ad integros arcus ascensuum, & descensuum adhibitos a numero 54 ad determinandum numerum, & qualitatem occursuum.

101. *Schol.* 3. Dato valore AT, & invento per calculum numericum valore TR, ac angulo RTL, poterunt facile inveniri omnes intersectiones rectæ TL cum curva ope solius partis *bm*ADB continentis binos solos arcus semicirculares, nimirum singulos hinc & inde ab A. Quærantur occursus F,*f* cum arcu quovis, ut A"D"B", posito post quotvis bases AB, BA', A'B', B'A". Cum detur numerus minutorum in AT; si is dematur a numero 10800 minutorum unius basis multiplicato per numerum earum basium, vel ipsi addatur, prout T fuerit in basi AB, vel A*b*, dabitur TA". Ducatur ex T in angulo invento initium rectæ TL solventis problema, quæ exhibebit occursus cum arcu *bm*ADB, & concipiatur ejus continuatio usque ad rectam perpendicularem axi ductam per A", cui occurrat in N: factis TR: TA":: RL = 1 : A"N, habebitur hujus valor in partibus radii: assumatur in recta perpendiculari axi ducta per A hic valor pro A*n*, ducaturque ex *n* recta parallela initio jam ducto rectæ TL: hujus occursus cum arcu ADB in Q, *q* exhibebit puncta respondentia punctis F, *f*: si ex Q, *q* ducantur perpendicula in axem; eorum distantiæ ab A exhibebunt distantias ab A" perpendiculorum, quæ concipiantur ducta in axem ex punctis F, *f*, & ipsa perpendicula. Addito numero basium ab A ad A", nimirum numero semicircumferentiarum, habebitur numerus minutorum circuli, quos percurret punctum secundum in fig. 5 ab appulsu ad A usque ad eos occursus puncti primi cum ordinata secundi, unde eruetur & tempus eorum occursuum, & locus; dum perpendicula

ad

(*) Nec vero tota ea curva, sed ejus pars ab occursu rectæ habentis directionem, quam habet recta TL transeuntis per *b* cum arcu *b'm'a'*, usque ad concursum transeuntis per B cum arcu A"D"B", cum punctum T debeat omnino contineri inter *b*, & B.

ad axem exhibebunt motus interea factos a puncto primo per diametrum post appulsum ad centrum. Eodem pacto pro occursibus præcedentibus inveniretur $n'N'$, quæ assumpta in An' exhiberet rectam ducendam ex n', ad habendas intersectiones q', Q' pro f', F'. Quin immo possent omnia haberi per solum arcum ADB. Assumptâ enim etiam An' versus n, & ductâ ex eo n' rectâ antiparallelâ rectæ ductæ per T, nimirum rectâ inclinatâ ad axem in eodem angulo, sed ex parte opposita, haberentur in arcu ADB etiam puncta, quæ supplerent vices punctorum Q', q', cum, facta semiconversione circa punctum A, arcus Amb debeat abire in ADB.

102. Si ageretur de phænomenis annuli Saturni pro planeta multo velociore; posset occurrere usus hujusce supplementi. Verum pro Mercurio solo tangens excurrit parum admodum ultra primam basim: pro planetis omnibus aliis continetur citra (*). Hinc pro hisce omnibus abunde sunt soli bini arcus priores, alter superior, alter inferior. Et quidem sola telluris consideratio sufficit ad usus astronomicos in hoc genere pro nobis spectantibus utique e tellure: ac videbimus infra, ut supra etiam monuimus, pro ipsa nihil requiri, præter illos priores duos arcus hinc & inde ab A, cum casibus expressis in fig. 7.

103. *Schol.* 4. Si recta solvens problema sit proxima tangenti; constructio non poterit exhibere satis accurate ipsius intersectionem cum arcu ob nimiam hujus obliquitatem: at in eo casu res facilius, & accuratius perficitur calculo numerico admodum simplici. Ipsum exponemus in fig. 12, in qua retinebimus plures e litteris figuræ 4 relatæ ad tertiam.

104. Sit MT' tangens cum sinu MP, qui secet in N rectam ipsi parallelam ductam per punctum axis H parum remotum a puncto T', occurrentem arcui in Ff, & sint FE, fe perpendiculares axi. Habetur arcus a respondens AP, cujus cosinus ad radium est (num. 98) ut velocitas puncti primi ad velocitatem

(*) Verum pro planetis superioribus, qui tanto minus distant a Saturno, non potest adhiberi hæc eadem theoria, quia non potest accipi motus lineæ nodorum annuli per totam eorum orbitam pro æquabili.

secundi : dato etiam arcu , qui respondet rectæ HT', quærentur PE , P*e* . Eæ lineæ erunt quamproxime æquales inter se ; quia cum in fig. 3 omnes chordæ arcuum F*f* , qui sint secti bifariam in M , sint parallelæ inter se ; differentia sinuum FE , *fe* ad chordam F*f* habebit ibi rationem constantem , dum arcus ipse minuitur , donec evanescat : arcus autem ipse , si sit exiguus , est quamproxime æqualis chordæ , a qua differt per quantitatem exiguam respectu ipsius sagittæ MN , quæ jam est exigua respectu ipsius chordæ . Hinc in fig. 12 ; recta E*e* æqualis arcui F*f* figuræ 3 habebit rationem quamproxime constantem ad differentiam sinuum FE , *fe* , adeoque chorda F*f* respondens E*e* bifariam sectæ in P habebit directionem quamproxime eandem usque ad contactum M .

105. Quod si in fig. 3 concipiatur N*n* parallela BA ; ea abscindet O*n* = PN ; cumque PM, PN figuræ 4 æquentur rectis OM, PN figuræ 3 (num. 21), æquabuntur itidem iisdem in fig. 12, eritque MN in hac æqualis M*n* figuræ 3 . Est autem in ipsa fig. 3 CO cosinus , MO sinus arcus AM , qui est idem , ac arcus *a* numeri 98 habens juxta num. 18 pro cosinu $\frac{1}{m}$. Quare erit CO = *cos.a* , MO = *sin.a* . Facto autem radio circuli = 1 , erit MN = $\frac{FM^2}{2CM} = \frac{1}{2}FM^2$, tum CM = 1 : MO = *sin.a* : : MN = $\frac{1}{2}FM^2 : Mn = \frac{1}{2}FM^2 \times sin.a$. Quare in fig. 12 erit MN = $\frac{1}{2}PE^2 \times sin.a$, posito MN ipsius pro M*n* figuræ 3 ipsi æquali , & PE pro chorda arcus MF exigui figuræ 3 ipsi æqualis.

106. Porro in fig. 12 est T'H ad MN , ut PT' ad PM , sive ut in fig. 3 MT ad MO , vel ut CM = 1 ad CO = *cos.a* . Quare in fig. 12 erit 1 : *cos.a* :: T'H : MN = T'H × *cos.a* . Fuerat prius MN = $\frac{1}{2}PE^2 \times sin.a$. Quare erit $PE^2 = 2T'H \times \frac{cos.a}{sin.a}$ = 2T'H × *cot.a* . Hinc facili calculo invenietur valor PE = P*e* = $\sqrt{2T'H \times cot.a}$ ope anguli *a* , cujus cosinus $\frac{1}{m}$.

107. Proderit invenire ipsum angulum ad habendum arcum , cui respon-

respondet AP, & debet addi, ac subtrahi valor inventus ad habendos valores AE, Ae, qui exhibeant in fig. 5 locum puncti secundi in iis occursibus. Verum si libeat habere eum valorem per solam rationem velocitatum, satis erit ponere $\frac{1}{m}$ pro *cos.a*, & $\sqrt{(1 - \frac{1}{m^2})}$ pro *sin.a*: inde habebitur $\frac{sin.a}{cos.a} = \sqrt{(m^2 - 1)}$, & $PE = Pe = \sqrt{2}TH : \sqrt[4]{(m^2 - 1)}$.

PROBLEMA V.

108. *Determinare effectum crassitudinis annuli, si qua habeatur. Crassitudo annuli, si qua adsit, efficiet, ut pro apparitione, & disparitione annuli non debeat considerari occursus plani transeuntis per mediam ejus crassitudinem, quod dici potest planum centrale, sed alterum e planis transeuntibus per superficies ampliores; quorum id, quod præcedit, dicemus præcedens, alterum vero subsequens.* Oportet 1°. determinare, utrum considerari debeat in singulis casibus, 2°. definire correctionem loci, quem occupat punctum secundum in occursu plani centralis cum sole, vel cum puncto primo ad habendum occursum plani considerandi. Ex ea locorum correctione eruetur etiam correctio temporis. Porro primum caput expedietur per considerationem casuum singulorum, pars prima capitis secundi per solam rationem velocitatum, secunda per proprietates lineæ sinuum.

109. Disparitio plani centralis accidit in transitu puncti secundi per solem, si punctum primum sit in semicirculo superiore figuræ 1: fit apparitio, si id sit in semicirculo inferiore. In primo casu obvertitur puncto secundo facies superior, quæ est præcedens, & ipsa appellente ad centrum cessat ejus illuminatio: in secundo casu facies, quæ obvertitur puncto secundo, est inferior, nimirum subsequens, & ut incipiat illuminari, debet ipsa transire per centrum. Quare in primo casu considerandum est planum præcedens, in secundo subsequens. Si habeatur crassitudo annuli reducta ad planum orbitæ puncti secundi, a quo ipsa secatur oblique, & fiat, ut velocitas puncti primi ad velocitatem secun-

secundi, ita dimidia ea crassitudo habita in partibus radii circuli ad quartum, is terminus reductus ad minuta erit correctio adhibenda loco puncti secundi, quæ nimirum erit subtractiva in primo casu, additiva in secundo, cum in illo occursus cum plano illuminato fiat prius, quam cum centrali, in hoc posterius. Si ratio velocitatum sit, ut prius, 1 ad m, & dimidia crassitudo h, erit mh correctio in partibus radii $= 1$, & $3438mh$ correctio ipsa in minutis circuli.

110. Si in iis casibus punctum secundum distaret in fig. 5 a diametro AB minus quam per dimidiam crassitudinem annuli; apparitio non fieret in transitu plani præcedentis, vel subsequentis per centrum, sed in occursu alterius cum puncto secundo: oportet evolvere effectum in hisce occursibus, ubicumque in occursu plani centralis sit punctum secundum. Puncto secundo existente infra centrum, illuminatur ejus planum præcedens: eo existente supra, illuminatur subsequens, nisi distet a centro minus quam pro dimidia sua crassitudine. Quare si agitur de occursu ante centrum; considerandum est planum præcedens: si vero agitur de occursu post centrum; considerandum est planum subsequens tam pro apparitione, quam pro disparitione. Hinc in primo casu considerandus est pro T' figuræ 5 locus puncti secundi anterior eo, qui assumptus est pro momento appulsus plani centralis, in secundo pro T posterior. Correctio adhibenda erit ipsi puncto T', vel T. Ea erit illa ipsa $3438mh$ numeri præcedentis subtractiva pro puncto T' posito in semicirculo inferiore, additiva pro T posito in superiore.

111. Correctio adhibenda ei puncto debet applicari in omnibus figuris sequentibus puncto, per quod ducenda erit recta solvens problema. Si id punctum jacuerit in basi bA, assumenda erit lineola respondens ei correctioni ad dexteram, si in basi AB, ad lævam. Nimirum in utroque casu augenda erit distantia ab A puncti, per quod duci debet recta solvens problema.

112. Inventa correctione, quæ adhiberi debet puncto, per quod ducenda est recta solvens problema; facile invenietur locus puncti secundi in sua orbita, qui exhibeat tempus. Sit in fig. 13 T' lo-

T''locus ipsius puncti secundi in appulsu primi ad centrum, T'H correctio inventa numero superiore: recta solvens problema pro plano centrali sit T'F cum sinu FE. Ducatur ex H recta parallela T'F, quæ concursu suo in *f* cum linea sinuum, exhibebit per sinum *fe* correctionem E*e* loci puncti primi, ex qua habetur differentia temporis ipsi respondens inter occursum puncti secundi cum plano centrali, & occursum cum plano anteriore, vel posteriore.

113. Lineola E*e* facile invenietur accuratius calculo numerico. Chorda F*f* producta occurrat axi in P, & erit PT' : PF :: HT' : $Ff = \frac{HT' \times PF}{PT'}$, tum PF : PE :: $Ff = \frac{HT' \times PF}{PT'}$: $Ee = \frac{HT' \times PE}{PT'}$. Porro habetur PE e solutione priore, & habitâ FP pro tangente curvæ, erit PE ejus subtangens, nimirum (num. 12) tangens arcus circuli æqualis AE, quæ assumpta e tabula sinuum, & ducta in 3438 reducetur ad minuta exhibita a scala partium axis, quæ exhibet immediate tam minuta arcus æqualis AE, quam minuta contenta in T'E. Si numerus minutorum in T'E fiat = x, in AE = y; erit PE = $tan.y$, & numerus minutorum in ipsa $3438 tan.y$, T'P = $x - 3438 tan.y$: cumque sit T'H = $\pm 3438 mh$; erit correctio = $\pm \frac{(3438)^2 mh tan.y}{x - 3438 tan.y}$.

113. Ubicunque fuerit punctum T', & ubicunque recta solvens problema occurrat curvæ, ut in F', vel F''; formula ipsa habebit semper locum, & exhibebit semper valorem quæsitum, dummodo, si T'E = x habeat directionem contrariam progressui puncti secundi, ut eam habet T'E'', habeatur pro negativo valor x, & si AE sit valor positivus, nimirum directionis ejusdem, & major gradibus 90 = 5400', valor $tan.y$ habeatur pro negativo, ut in F', ubi idcirco T'P' est summa, non differentia T'E', E'P'. Esset valor $tan.y$ negativus etiam existente y minore 90°, sed negativo; erit autem positivus, si AE sit valor negativus, & major quadrante, quam ob causam existente tam T'E'', quam E''P'' negativo, est T'P'' ipsorum summa negativa. Geometria per directionem linearum exhibet positiva, & negativa, ut calculus per sua signa.

114.

114. *Schol.* Quæ dicta sunt huc usque, supponunt datam rationem velocitatum puncti primi ad velocitatem secundi, & positionem hujus respectu diametri, quam illud percurrit, pro momento, quo illud pervenit ad centrum. Ratio velocitatum mutatur nonnihil, quia ob ellipticitatem tam Saturni, quam planetæ, ex quo observari debent phænomena ejus annuli, ambæ velocitates mutantur nonnihil: positio diametri, quam percurrit intersectio plani annuli cum plano orbitæ ejus planetæ, pendet a positione lineæ nodorum ipsius annuli in ea orbita: locus puncti secundi est locus ejus planetæ pro momento, quo planum ipsius annuli transit per solem: id momentum pendet a linea nodorum annuli respectu Saturni, qua data, datur locus, quem tum debet habere Saturnus in sua orbita, unde eruitur per tabulas astronomicas primo tempus ei loco debitum, tum locus planetæ in orbita sua respondens ei tempori.

115. Positio lineæ nodorum respectu orbitæ Saturni habetur itidem ex tabulis astronomicis; ea deduci potest etiam ex observatione disparitionis, vel apparitionis cujuspiam factæ in transitu per solem. Si detur ejusmodi momentum per observationem; dabitur ex calculo astronomico locus heliocentricus Saturni eo tempore in orbita sua, per quem transit linea nodorum. Potest autem is locus haberi accuratior, si tabularum locus corrigatur per observationes immediatas Saturni factas iis diebus: quin immo per binas ejusmodi observationes factas ad intervalla temporum satis magna potest inquiri etiam in motum ipsum nodorum ad perficiendam ejus theoriam, & inveniendum locum nodorum pro alio tempore dato (*).

116. Invento eo nodo, si habeatur præterea inclinatio ejus plani vel ad orbitam Saturni, vel ad orbitam ejus planetæ, invenietur locus nodorum in orbita ipsa. Si enim in fig. 14 sit N locus nodi orbitæ planetæ cum orbita Saturni, P locus nodi annuli in

(*) Si nodus habeat motum, & inæqualem, requirentur plures ejus determinationes ad eam rem, per quas obtineatur lex ipsius, vel saltem ad obtinendum ejus locum per interpolationem pro apparitione, & disparitione proxime sequentibus.

E in orbita Saturni, dabitur arcus NP. Datur etiam angulus N inclinatio earum orbitarum, & erit P inclinatio annuli ad planum orbitæ Saturni, Q inclinatio ipsius ad planum orbitæ alterius planetæ. Quare si detur alter ex iis angulis, habebitur alter, & habebitur NQ, nimirum positio lineæ nodorum in orbita planetæ.

117. Innotescit Astronomis inclinatio annuli ad planum orbitæ Saturni, & ad planum eclipticæ cum loco nodorum, tam respectu orbitæ Saturni, quam respectu eclipticæ. Inquiri potest in ea omnia ope horum phænomenorum, rite combinando transitus plani nodi per solem, & per terram erutos ex observatione. Docebimus paullo inferius post applicationem theoriæ ad terram methodum determinandi immediate per hasce observationes arcum NQ, nimirum distantiam nodi annuli in ecliptica, a nodo orbitæ Saturni N, dato ipso nodo orbitæ, qui cum inclinatione orbitarum debet determinari aliunde, nimirum per generalem theoriam planetarum, & observationes ipsi applicatas. Habitis NP, NQ cum angulo N obtinerentur ambæ inclinationes plani annuli P, & Q. Sed exiguus error in iis arcubus posset inducere errorem satis magnum in eos angulos: eum autem errorem potest inducere potissimum difficultas determinandi crassitudinem annuli, si qua habetur sensibilis, & discrimen inter momentum, quo planum annuli incipit, vel desinit obverti soli, vel oculo, & momentum, quo incipit apparere, quod intervallum temporis pendet a vi telescopiorum, & oculorum. Sed de iis omnibus agemus infra. Interea hìc docebimus methodum corrigendi errorem, qui oriri potest ab æquabilitate motuum falso supposita.

PROBLEMA VI.

118. *Corrigere errorem ortum ab æquabilitate motus minus accurata.*

119. Sit in fig. 15 T' locus puncti secundi in axe lineæ sinuum, T'F recta solvens problema, FE sinus arcus æqualis AE. Habito momento temporis appulsus primi puncti ad centrum, habetur punctum orbitæ puncti secundi respondens puncto T', & habitâ lineâ nodorum in ipsa orbita, habetur punctum A in ea-

dem, adeoque arcus respondens T'A. Angulus in T' determinatus per rationem velocitatum mediarum determinabit rectam T'F, & punctum F, unde demisso perpendiculo FE habebitur numerus minutorum in arcu, qui respondet AE, adeoque punctum E in orbita puncti secundi, unde innotescet momentum, quo id punctum eo devenit: pro eo momento poterit inveniri locus Saturni in orbita sua, & inde locus primi puncti in sua diametro calculo astronomico simili ei, quo invenitur tempus appulsus ejusdem puncti ad centrum. Quare habebitur distantia ejus puncti a centro, quæ sit EF'.

120. Si EF' inveniatur æqualis EF, nulla correctione opus erit. Cum distantia puncti secundi a centro sit EF', & EF sinus arcus respondentis AE sit distantia ab eodem ordinatæ puncti secundi; habebitur ibi occursus quæsitus. Sed si eæ rectæ non sint æquales; distabit punctum primum ab ea ordinata per F'F, & quærendum erit punctum *f*, in quo EF, EF' debeant fieri æquales. Oportebit invenire rationem velocitatum actualem nonnihil diversam a media, quæ ratio inveniri poterit ex datis per calculum astronomicum distantiis veris Saturni, & secundi planetæ a sole pro illo momento temporis, quod respondet puncto E. Nam velocitates angulares circa solem sunt in ratione reciproca subduplicata distantiarum, ac datis actualibus distantiis a sole, velocitatibus angularibus, & inclinatione annuli ad planum orbitarum Saturni, & alterius planetæ, haud difficulter invenitur ratio vera velocitatis, quam habet tunc intersectio lineæ nodorum annuli cum recta plani orbitæ posterioris transeunte per solem sibi perpendiculari, ad velocitatem, quam habet planeta ipse relatus ad circumferentiam circuli habentis distantiam mediam per ordinatam perpendicularem eidem rectæ. Si ea ratio sit 1 ad m', ac fiat $EI = m' \times EF'$, ut est $ET' = m \times EF$, & ducatur IF': ejus occursus in *f* cum linea sinuum exhibebit id punctum, & ope sinus *fe* quæsitam correctionem *Ee*.

121. Si enim concipiatur ex *f* recta parallela axi occurrens EF in L; erit F'L ad $Lf = Ee$, ut F'E ad EI, nimirum ut velocitas actualis puncti primi ad velocitatem secundi, adeoque tempore,

pore, quo punctum secundum percurrit arcum æqualem eE, punctum primum debet percurrere spatiolum æquale $F'L$, unde fit, ut, ordinatâ illius habente distantiam a centro ef, eandem habeat hoc etiam.

122. *Schol.* 1. Facile invenietur correctio eE calculo numerico. Sit $AE = y$, erit $EF = sin.y$, Ee differentia arcus $= dy$, LF differentia sinus $= dsin.y = dycos.y$, cumque ratio velocitatum actualis sit m', erit $m' : 1 :: eE = dy : F'L = \frac{dy}{m'}$. Error inventus FF' dicatur e, eritque $dycos.y - \frac{dy}{m'} = e$, adeoque correctio quæsita $eE = dy = \frac{e}{cos.y - \frac{1}{m'}}$. Si FT' fuerit tangens; tum erit $cos.y = \frac{1}{m}$ (num. 18). Quare valor quæsitus $\frac{e}{\frac{1}{m} - \frac{1}{m'}}$. In eo casu ob valorem m' parum admodum diversum ab m, divisor erit perquam exiguus: hinc in eo casu, & prope ipsum formula posset evadere nimis erronea: nam valor $FL = dsin.y$ non est accurate $= dycos.y$: negliguntur ibi termini multiplicati per potentias ipsius dy elevatiores: habenda tum erit ratio saltem unius termini inferioris. Sed quotiescumque valor $cos.y$ fuerit satis remotus a valore $\frac{1}{m'}$; tum ii termini inferiores tuto negligi poterunt: quin immo etiam adhiberi poterit $\frac{1}{m}$ pro $\frac{1}{m'}$, quotiescumque valor $cos.y - \frac{1}{m}$ non fuerit nimis exiguus, cum nimirum agatur de valore Ee exiguo: adeoque omitti poterit perquisitio molestior rationis velocitatum actualium. Casus, in quo FT' est tangens, est is, in quo occursus debet fieri in limite æqualitatis, vel prope ipsum; in quo casu fieri etiam potest, ut pro occursu indicato a solutione erronea habeatur potius minima distantia, quod accidit prope limitem æqualitatis. In distantia ab eo limite non nimis exigua, adhiberi tuto poterit ea formula admodum simplex. Prope ipsum vel adhibendus est calculus numericus operosior, vel constructio, inventâ EI per valorem m', & ductâ IF', quæ determinet punctum f.

PROBLEMA VII.

123. *Applicare theoriam propositam ad phænomena annuli observanda e terra.*

124. Ratio velocitatum mediarum terræ in sua orbita habita pro circulari, & intersectionis lineæ nodorum annuli cum diametro sibi perpendiculari erit subduplicata reciproca distantiarum mediarum terræ, & Saturni a sole. Eæ distantiæ sunt ut 1 ad 9,53937, cumque radix hujusce numeri posterioris sit 3,089, hæc erit ratio velocitatis Saturni ad velocitatem terræ, adeoque erit $m = 3{,}089$. Hinc $\frac{1}{m} = 0{,}3238$, qui est cosinus 72°. 3' = 4323': tangens ejus arcus est 3,08685, quæ multiplicata per 3438 exhibet minuta 10613, & si inde dematur arcus 4323', remanebit excessus tangentis supra arcum ipsum 6290'.

125. Cum velocitas terræ obvenerit major; habebitur casus numeri 75, in quo recta solvens problema poterit evadere tangens lineæ sinuum, & in quo habebitur limes æqualitatis (num. 55). Contactum, & eum limitem exhibebit subtangens æqualis tangenti arcus, cujus cosinus $\frac{1}{m}$ (num. 56), adeoque is arcus pro terra erit 72°. 3'. Excessus 6290' tangentis supra arcum est minor divisore 10800', adeoque (num. 18) tangens non distat a puncto A lineæ sinuum, quod respondet puncto A figuræ 5 (num. 81), per numerum basium semicircularium accuratum, quin immo nec excurrit ultra unicam basim. Hinc pro terra habebitur casus figuræ 7, in qua tangentes F'T, FT' terminantur ad bases primas AB, A*b*, quod innuimus num. 40, & 75.

126. Erit ibi AE = AE' = 72°. 3' = 4323', AT = AT' = 6290; cumque sit AB = A*b* = 180° = 10800', remanebunt BT, *b*T' = 4510'. Si distantia terræ in fig. 5 ab A eo momento, quo planum annuli pervenit ad solem, fuerit major quam 6290', sive 104°. 50'; habebitur unicus occursus plani ipsius cum terra, qui cum transitu ejusdem plani per solem inducet unam disparitionem, & unam apparitionem. Si ea distantia terræ ab A fuerit æqualis 104°. 50'; habebuntur duo occursus, quorum alter

cum

cum transcursu, & alter sine ipso: occursus cum transcursu exhibebitur a puncto f', vel f, & alter sine transcursu habendus in ipso limite æqualitatis a puncto contactus F, vel F': in concursu indicato a puncto f' pertinente ad arcum inferiorem habebitur disparitio, in altero indicato a puncto f pertinente ad arcum superiorem apparitio: in concursu indicato ab utrovis contactu disparitio, sed momentanea. Si distantia terræ ab A in appulsu primi puncti ad centrum fuerit minor quam 104°. 50'; habebuntur tres occursus cum transcursu indicati ab intersectionibus $n''2$, $n'2$, $n2$, vel $n''3$, $n'3$, $n3$, qui conjuncti cum transitu plani annuli per solem exhibebunt binas disparitiones, & totidem apparitiones. Demum si illa distantia fuerit $= 0$; habebitur disparitio indicata a puncto q in primo transcursu plani ipsius ultra terram, & apparitio indicata a puncto Q in postremo ejus transcursu: coeunte autem cum A puncto $n'3$, vel $n'2$, a quo indicatur concursus, evanescet apparitio cum nova disparitione, & disparitio præcedens continuabitur in ipso transitu simultaneo plani, & ordinatæ per centrum. Ea omnia congruunt cum iis, quæ dicta sunt a num. 47.

127. *Schol.* 1. Numerus, & qualitas occursuum cum numero, & tempore apparitionum, & disparitionum pendent fere unice a loco terræ in appulsu plani annuli ad solem. Ratio velocitatum mediarum m perstat ad sensum eadem diutissime: ratio velocitatum actualium m' mutatur nonnihil, sed ea ipsa non mutatur ad sensum, nisi dependenter ab eo loco: nam inclinatio plani annuli mutatur parum admodum, si forte mutatur, adeoque id planum transit per solem, Saturno adveniente ad punctum suæ orbitæ fere idem, in quo ejus distantia a sole, & velocitas angularis circa solem vix quidquam mutantur ab exiguis perturbationibus motuum ipsius: mutatio fere tota rationis velocitatum debet provenire a loco terræ in occursu, quo mutato, mutatur nonnihil ipsius distantia a sole, & velocitas: ea ipsa mutatio est exigua, & cum loca occursuum pendeant a loco terræ in appulsu plani annuli ad solem, & ratione velocitatum determinante inclinationem rectæ solventis problema; si terra redeat ad idem punctum suæ orbitæ in appulsu plani annuli ad solem, redibunt eadem phænomena dispari-

paritionum , & apparitionum : nam manente inclinatione plani annuli , manet directio diametri perpendicularis ejus intersectioni cum plano eclipticæ , adeoque , redeunte terra ad idem punctum ipsius eclipticæ , redit eadem positio ipsius in basi *b*AB figuræ 7 , nimirum idem punctum , per quod duci debet recta solvens problema , redit eadem inclinatio ejusdem rectæ , redeunt iidem occursus ipsius cum curva sinuum , eadem correctio ejus inclinationis respondens iis occursibus singulis .

128. Sed mutato loco terræ in appulsu plani annuli ad solem , debet mutari etiam series eorum phænomenorum . Si is locus distet ab A per intervallum majus illis rectis AT , AT' determinatis a ratione velocitatum ; habebitur , ut diximus , unica apparitio , & disparitio , & quidem si terra tum fuerit in semicirculo inferiore figuræ 5 , existente ejus loco in fig. 7 in *r*1 ; habebitur concursus indicatus ab *n*1 terræ descendentis cum plano annuli ascendente ; adeoque in eo concursu disparitio , & in transitu plani annuli per solem apparitio : sed si e contrario terra tum fuerit in fig. 5 in semicirculo superiore , sive in *r*4 figuræ 7 ; habebitur concursus indicatus ab *n*4 terræ itidem descendentis cum plano ascendente ; sed in eo concursu habebitur apparitio post disparitionem præcedentem in transitu per solem . Si illa distantia loci terræ fuerit æqualis ei intervallo , loco ipso existente momento ejus transitus in fig. 7 in T' , vel T ; præter eam disparitionem , vel apparitionem indicatam ab *f*' pro descensu terræ in semicirculo inferiore figuræ 5 , vel ab *f* pro ejus descensu in superiore prope B cum apparitione , vel disparitione in transitu plani per solem , habebitur disparitio momentanea indicata ab F , vel F' , quæ fiet , terra appellente ad ea ipsa puncta figuræ 5 . Si illa distantia loci terræ fuerit minor , loco ipso existente in fig. 7 in *r*2 , vel in *r*3 ; habebuntur binæ disparitiones , & totidem apparitiones . In primo casu fiet prima disparitio in descensu per semicirculum inferiorem figuræ 5 indicata ab *n*2 pro concursu primo , tum apparitio in transitu plani per solem , secunda disparitio in ascensu per semicirculum superiorem indicata a concursu *n*'2 , ac apparitio subsequens in descensu per eundem semicirculum superiorem indicata ab *n*2 . In secundo vero

casu

casu fiet prima disparitio in descensu, vel ascensu indicata ab $n''3$ pro primo occursu, apparitio in ascensu indicata ab $n3$ pro occursu secundo, disparitio nova in transitu per solem, & apparitio nova in descensu indicata ab $n3$ pro occursu tertio.

129. Patet igitur, mutato eo loco terræ in appulsu plani annuli ad solem, mutari totam seriem phænomenorum, ut & distantiam temporariam inter eas apparitiones, & disparitiones, quæ pendet a magnitudine chordarum interceptarum inter diversa puncta pertinentia ad intersectionem rectæ solventis problema cum curva sinuum, & mutatur plurimum, mutato loco puncti r, potissimum prope puncta T, T', ubi sufficit paucorum graduum discrimen ad mutandum punctum $r1$ in $r2$, vel $r3$ in $r4$. Ille arcus respondens AT, & AT' est ex ratione velocitatum mediarum (num. 125) minutorum $6290 = 104^{\circ}. 50'$. Corrigi potest adhibendo velocitates actuales debitas locis ipsis terræ, quæ respondent singulis iis punctis, & quæ remanent ad sensum eædem pro loco eorum punctorum correcto, qua correctione adhibita, jam ipsæ AE, AE' æquales arcubus æqualitatis non erunt prorsus æquales inter se, nec F'T, FT' prorsus parallelæ: ea correctio semel adhibita perstaret diutissime, quia pertineret ad eadem loca Saturni in orbita sua, & terræ in sua.

130. Si ratio temporis periodici Saturni in orbita sua esset accurate multipla temporis periodici terræ in ecliptica, quam contineret quopiam numero vicium accurato p; post singulas conversiones Saturni, & numerum annorum p rediret eadem series phænomenorum: si eorum temporum ratio esset ut quipiam numerus p ad quempiam q accurate; post numerum annorum q rediret iterum series eadem, quia locus terræ rediret ad idem punctum baseos bAB. Verum ea tempora non sunt accurate ut numerus saltem non immanis ad numerum, & non sunt utcumque satis proxime in ratione numeri brevis ad alium non nimis longum. Quamobrem periodus nulla habetur accurata, & nonnisi post longam annorum seriem redit saltem proxime eadem series. Locus terræ respondens appulsui plani Saturni ad solem post singulas periodos mutatur plurimum. Bini sunt ii appulsus singuli, nimirum

mirum Saturno existente in partibus oppositis suæ orbitæ, nec velocitas actualis ipsius est eadem in utroque, nec inter eos habetur intervallum dimidium temporis periodici ob excentricitatem orbitæ Saturni, & quidem non exiguam, nec velocitas actualis terræ est pariter eadem in utroque casu ob ejus excentricitatem. Quamobrem etiam si haberetur illa ratio temporum periodicorum accurata numeri ad numerum, adhuc tamen series in iis esset diversa. Verum periodus remanerer eadem pro utrovis nodo; quia a discessu a nodo utrovis ad regressum ad eundem impenditur quamproxime idem tempus, quod est quamproxime idem pro quovis puncto determinato orbitæ Saturni, ut tempus periodicum annuum est idem pro quovis eodem puncto orbitæ terræ.

131. Si pro horis, & minutis adhibeantur fractiones decimales unius diei; tempus annuum periodicum terræ est dierum 365,256, & Saturni dierum 10761,609, nimirum eorum annorum 29, & dierum 169,185, & si assumantur fractiones decimales unius anni, una periodus Saturni continet annos 29,4632. Quamobrem post unam periodum longiorem annis 29, locus terræ distabit a loco præcedenti per $\frac{4632}{10000}$ basis bAB, adeoque series phænomenorum occurret admodum diversa. Quid accidere debeat post plures revolutiones, apparebit ex tabella hìc apposita pro 10 revolutionibus Saturni.

1	29,4632
2	58,9264
3	88,3896
4	117,8528
5	147,3160
6	176,7792
7	206,2424
8	235,7056
9	265,1688
10	294,6320

132.

132. Post duas conversiones desunt ad annos 59 partes anni $\frac{736}{10000}$, quibus respondent minuta circuli 1590 = 26°. 30'. Hinc si locus terræ in quodam appulsu plani annuli ad solem sit in $r2$ supra limitem æqualitatis inferiorem per gradus 10; in reditu ejusdem nodi ad solem post annos fere $29\frac{1}{2}$ erit alicubi in $r3$, & post annos fere 59 erit in $r1$ infra ipsum limitem per gradus 26°. 30'. In primo casu habebuntur binæ apparitiones, & totidem disparitiones, in secundo unica apparitio, & disparitio. Quamobrem licet partes, quæ desunt, non sint nisi $\frac{736}{10000}$, ea periodus non potest reddere eandem seriem phænomenorum nec accurate, nec satis proxime. Post omnes sequentes conversiones vel redundat, vel deest multo plus ad periodum accuratam.

133. Combinationes eorum numerorum, assumendo simul plures, vel eorum decupla, ostendent periodos minus aberrantes, sed nulla invenietur non nimis longa, quæ nec relinquat defectum, nec excessum cujuspiam centesimæ, & singulæ centesimæ inducunt discrimen 216 = 3°. 36'. Si fiat summa conversionum 6 = 176,7792, & 7 = 206,2424, habetur pro 13 conversionibus Saturni 383,0216, nimirum anni 483 cum $\frac{216}{10000}$, quibus respondent minuta 457 = 7°. 37'. Discrimen in phænomenis erit exiguum, si initium periodi sit procul a limitibus T, & T'; sed erit aliquod satis sensibile prope eos limites. Periodus minus erronea habebitur, si fiat summa periodorum 40 = 1178,528, & 1 = 29,4632, quæ exhibet 1207,9910, nimirum annos 1208 $-\frac{91}{10000}$. His respondent minuta 196 = 3°. 16'. Verum ne ea quidem, licet sit longior mille annis, est prorsus accurata. Est adhuc accuratior periodus conversionum Saturni 95. Nam 90 exhibent 2651,688, & 5 = 147,3160, quorum summa 2799,004 habet pro excessu $\frac{4}{1000}$, sive minuta 86 = 1°. 26'. Verum nec ipsa est penitus accurata, nisi numeri adhibiti pro periodis non

prorsus certi intra limites tam arctos corrigant eum errorem ; & est nimis longa cum requirat sæcula 28.

134. *Schol.* 2. Proponemus hìc post applicationem theoriæ ad terram methodum instituendi calculum pro inventione plurium, quæ in superioribus diximus inveniri ope calculi Astronomici, uti sunt inventio loci terræ pro momento, quo primum punctum advenit ad centrum circuli (num. 31), inventio erroris orti ex suppositionibus non prorsus accuratis, & ex defectu constructionis (num. 119), inventio rationis celeritatum actualium, & ejus correctio (num. 120).

135. Sint in fig. 16 (Tab. III) puncta N, P, Q eadem, ac in fig. 14 : nimirum N nodus orbitæ Saturni NPN' relatæ ad superficiem heliocentricam sphæræ cælestis cum ecliptica cælesti VQXR, P nodus plani annuli cum orbita Saturni, Q cum ecliptica, existente RPQ intersectione plani transeuntis per solem C paralleli plano annuli cum eadem superficie cælesti. Patet, angulos in P, & Q fore inclinationes plani annuli ad planum orbitæ Saturni, & ad planum eclipticæ. Patet itidem, loco Saturni deveniente ad P, debere planum annuli transire per solem, & loco terræ deveniente ad Q, idem planum debere transire per ipsam terram.

136. Sit MADB in plano eclipticæ circulus referens orbitam terræ habitam pro circulari, quæ occurrat in A, B radiis CQ, CR, & in M, D diametro VX perpendiculari ad QR : patet, intersectionem plani annuli translati a Saturno motu parallelo cum plano eclipticæ fore semper parallelam diametro RCQ ; adeoque si loco Saturni existente ubicumque alibi in L, & ipso Saturno in radio CL alicubi in S, planum annuli transiens per S occurrat diametro VX in I, & plano eclipticæ in recta KI ; ea recta erit parallela rectæ QR, & perpendicularis diametro VX. Patet inde, circulum MADB fore illum ipsum figuræ 5, in quo terra convertatur per MADB, dum intersectio I plani annuli ascendit ibi per diametrum MD.

137. Saturno existente in P, erit id punctum in C, & ascendet per MD eo tempore, quo intersectio KI abibit a contactu or-

orbitæ terrestris in M usque ad contactum in D. Porro communi methodo calculi astronomici dato tempore invenitur locus heliocentricus Saturni, & terræ, & dato loco, invenitur tempus. Hinc si ex elementis Astronomiæ habeatur locus nodi in orbita Saturni; invenietur tempus, quo id punctum deveniet ad centrum C; quia innotescet tempus, quo Saturnus erit in P. Si autem e contrario innotescat ex observatione tempus, quo planum annuli transit per solem, invenietur punctum P orbitæ Saturni, adeoque dato ex iisdem elementis loco N nodi orbitæ Saturni, invenietur arcus NP distantia alterius nodi ab altero. Punctum P tutius innotescet, si locus Saturni heliocentricus erutus e tabulis corrigatur per observationes ejus loci geocentrici habitas per eos dies.

138. Habito ex theoria jam determinata loco nodi P, & per ipsum ope calculi astronomici momento temporis, quo Saturnus eo deveniet, habebitur locus terræ pro eodem momento. Habito ex theoria arcu NP, ac inclinatione orbitæ Saturni ad ecliptica, & plani annuli ad eam orbitam, nimirum angulo PNQ, NPQ, habebitur arcus NQ, ut innuimus num. 115, & cum innotescat in ecliptica locus N nodi orbitæ Saturni, innotescet locus Q nodi annuli in ecliptica, adeoque & ejus distantia a loco terræ invento, quæ erit arcus AT, vel AT'.

139. Habito eo loco cum ratione velocitatum *m*, habebitur constructio exhibita in fig. 7, quæ præbebit occursus rectæ solventis problema cum linea sinuum. Si e singulis punctis occursuum demittantur perpendicula in axem lineæ sinuum, habebitur arcus eclipticæ interceptus inter A, & locum terræ in eo occursu; cumque detur locus A in ipsa ecliptica; innotescet punctum eclipticæ, in quo erit terra in eo occursu, quo loco cognito, innotescet tempus ejus occursus.

140. Ea solutio erit incorrecta, ob suppositionem motus terræ æquabilis in circulo, & motus puncti I suppositi æquabilis cum velocitate media ipsius Saturni. Utraque suppositio est nonnihil erronea. Excentricitas terræ exigua inducit errorem, sed exiguum ejus suppositionis: excentricitas Saturni est major, sed æquabili-

tas motus ipsius Saturni, & puncti I turbatur parum eo tempore, quo id punctum percurrit diametrum MD: nam arcus interea descriptus a Saturno habebit chordam circiter æqualem ei diametro, adeoque sinus dimidii ejus arcus erit ad radium, ut 1 ad 9,53937, unde obvenit is sinus 0,10483, & arcus = 6°. 1', cujus duplum 12°. 2'. Saturnus, & intersectio plani annuli cum ipso translati non possunt habere nisi exiguam inæqualitatem celeritatis.

141. Verum hæ inæqualitates, utut exiguæ, inducunt errorem, quem præstat corrigere, & pro invenienda correctione præscribitur num. 119 inventio loci intersectionis annuli pro dato momento temporis, quod respondet loco terræ exhibito a constructione pro quopiam occursu. Assumpto eo loco terræ invenitur calculo astronomico momentum temporis, quod ipsi respondet: hinc eodem calculo astronomico invenitur locus Saturni in orbita sua respondens ei momento: videndum, quomodo invenienda sit distantia intersectionis I plani annuli a centro C pro eo momento.

142. Sit L locus Saturni inventus in ejus orbita cælesti respondens ejus loco reali S. Cum detur & nodus N in orbita Saturni, dabitur arcus NL, qui est argumentum latitudinis LO: quæ invenitur. Invenietur ex tabulis Saturni tam ea, quam NO distantia a nodo reducta, adeoque ob datam distantiam NQ nodorum orbitæ, & annuli, habebitur OQ. Sit SG perpendicularis plano eclipticæ, & per ipsam planum, quod occurrat rectis CQ, IK in H, K. Erit SKG inclinatio plani annuli IKS ad planum eclipticæ IKG. Quamobrem habitâ etiam distantiâ Saturni CS, fiet, ut radius ad cosinum latitudinis, ita CS ad CG, tum ut radius ad sinum arcus OQ, ita CG ad GH. Rursum ut radius ad sinum latitudinis, ita CS ad SG, & ut radius ad cotangentem inclinationis annuli, ita SG ad GK. Habitis HG, GK, habetur HK, quæ erit earum summa, vel differentia, adeoque quæsita CI = HK.

143. Differentia distantiæ CI inventæ a sinu arcus exhibiti a constructione pro loco terræ, & assumpti pro calculo loci puncti I est error, qui debet corrigi. Ad eam correctionem propositus

situs est num. 120 valor m' rationis velocitatum actualium : docendum est, quo pacto ea ratio possit inveniri. Posset quidem inveniri per formulas differentiales ratio velocitatis mediæ Saturni in orbita circulari habente pro radio ejus distantiam mediam ad velocitatem actualem puncti I : nam valores HG, GK pendent a distantia actuali Saturni, & ab arcubus LO, OQ, præter valorem constantem inclinationis annuli, & arcus LO, OQ pendent ab arcu NL, & constanti inclinatione annuli. Quare omnia reducuntur ad motum puncti L, & distantiæ CS : velocitas puncti L est velocitas angularis puncti S, quæ ob areas constantes est in ratione reciproca duplicata distantiæ CS. Ipsius autem distantiæ variatio pendens ab excentricitate, & anomalia posset determinari per formulam generalem : ex iis omnibus emergeret expressio mutationis, quam dato tempusculo debet subire HK, sive CI. Inde emergeret ratio velocitatis mediæ Saturni ad velocitatem actualem puncti I. Itidem inveniretur per formulas differentiales ratio mutationis puncti F figuræ 17 ad mutationem loci motus medii : ex iis rationibus, & ratione m velocitatum mediarum emergeret ratio m' velocitatum actualium. Sed formulæ, quæ exhiberent eas expressiones, essent admodum complicatæ.

144. Verum ratio velocitatum actualium potest haberi multo facilius, determinando pro alio quopiam momento, ut post intervallum unius diei, tam novum locum Saturni, & ipsam novam distantiam CI, quam novum locum terræ, cum locis, ad quæ ipsa referatur per illas ordinatas. Ratio arcus intercepti inter ea loca in orbita media terræ ad differentiam rectæ CI exhibebit valorem m'. Ratio calculi numerici pro binis distantiis CI patet ex iis, quæ posita sunt initio hujus scholii. Pro loco terræ in orbita circulari media calculus sic facile institui potest. Sit in fig. 17 ADBM circulus habens pro radio distantiam mediam terræ a sole, ille idem, pro quo constructa est curva sinuum. Habito puncto ecliptice A, cui respondet locus terræ eo momento, quo punctum I advenit ad centrum C, & alio quovis loco H pro alio momento, habebitur arcus AH, & ejus complementum MH cum angulo MCT. Habebitur etiam distantia actualis terræ CT, a-

deo-

deoque etiam CI = CT×*cos.*MH. Si IT producta, si opus sit, occurrat circulo medio in F; & radius ipsius fiat 1, erit CI cosinus arcus MF, qui proinde dabitur. Si is arcus inveniatur pro binis locis terræ, qui respondent illis ipsis momentis, pro quibus in fig. 16. determinatæ sunt illæ binæ distantiæ CI, ac differentia ipsarum reducatur ad minuta, multiplicando per 3438; erit differentia binarum distantiarum CI figuræ 16. ita reducta ad differentiam binorum arcuum MF, ut 1 ad valorem quæsitum *m*`. Nam occursus terræ cum plano annuli fiet modo, quo fieret, si terra esset non in T, sed in F, & semper haberet eam velocitatem, quam tunc habet punctum F, definitam per eam differentiam binorum arcuum MF`.

145. Verum etiam sine inventione arcus MF, & sine linea sinuum res præstabitur per solos valores CI inventos in fig. 16 pro intersectione plani annuli, & in fig. 17 pro ordinata terræ, si fiat CI = CT×*cos.*MH pro binis, vel ad summum tribus locis terræ parum remotis a se invicem, quorum unus sit is ipse exhibitus a constructione innixa valori *m* minus exacto, & inveniantur totidem CI figuræ 16. Sit in fig. 18 recta AB æqualis arcui intercepto inter bina loca terræ, quibus respondent calculi, & AE differentia binarum CI figuræ 17, & 16 respondentium primo loco, BG differentia respondentium secundo. Concipiatur recta EG occurrens rectæ AB in C, & GF parallela ipsi AB occurrens AE in F. Erit EF:EA::AB:AC, & erit AC correctio adhibenda loco primo terræ A. Nimirum si bini errores AE, BG dicantur e, e', & arcus AB fiat = a; erit EF = $e - e'$: EA = e::FG = AB = a:AC = $\frac{ae}{e' - e}$. Hæc est methodus solita falsæ positionis, in qua valores e, e' possunt relinqui in partibus radii, & valor a in minutis: obveniet AC itidem in minutis sine ulla reductione.

146. Hæc correctio erit satis accurata, ubi in prima constructione in fig. 15 punctum T` fuerit satis remotum a puncto tangentis P. Tum enim differentiæ errorum erunt satis proxime proportionales differentiis temporum, & locorum terræ. Si punctum

T` sit

T' sit ibi parum remotum a puncto P ; tum in fig. 18 locus C ita inventus poterit esse erroneus , quod an ita accidat , facile patebit , inventis binis CI binarum figurarum , quæ respondeant novo loco terræ C . Si eæ non sint æquales ; ipsarum differentia erit novus error , cui concipiatur æqualis CH . Tum invenietur locus terræ , in quo error sit = 0 methodo itidem solita ope trium errorum e, e', e'' cum binis differentiis loci terræ a, a'.

147. Sit relatio inter loca terræ proxima indicata a constructione , & errores iis respondentes expressa per æquationem $px^2 + qx + r = y$. Facta $x = 0$, a, a', erit $y = e, e', e''$: hinc tres æquationes $r = e$, $a'^2p + aq + e = e'$, $a''^2p + a'q + e = e''$. Inventis per posteriores binas valoribus p , & q ; æquatio $px^2 + qx + e = 0$ exhibebit correctionem x , cui respondeat error $= 0$. Præstabit autem pro ea methodo assumere tria tempora , quæ exprimantur a tribus punctis A , B , C , & pro iis computare loca terræ , & Saturni , ac binas illas CI , quæ exhibeant tres errores , cum facilius ex tabulis eruatur accurate locus verus terræ pro dato tempore , quam tempus pro loco vero dato . AD $= x$ erit immediate correctio temporis primo assumpti . Calculus evadet simplicior , si intervalla temporum assumantur æqualia , ut sit $a' = 2a$. Binæ æquationes pro p , & q erunt $ap + q = \frac{e' - e}{a}$, & $2ap + q = \frac{e'' - e}{2a}$, subtrahendo primam a secunda fiet $ap = \frac{e'' - e}{2a} - \frac{e' - e}{a} = \frac{e'' - 2e' + e}{2a}$, $p = \frac{e'' - 2e' + e}{2a^2}$ tum $q = \frac{e' - e}{a} - \frac{e'' - 2e' + e}{2a} = -\frac{e'' - 4e' + 3e}{2a}$.

148. *Schol.* 4. Superest illud tantummodo , quod promisimus numer. 117. ; nimirum methodus eruendi immediate ex observationibus in fig. 16 distantiam NQ loci nodi orbitæ Saturni in ecliptica a loco nodi annuli in eadem : id pertinet eo , ut inveniatur punctum Q , sive A , quod ipsi respondet ; nam , ut ibi monuimus , aliunde determinari debet in Astronomia tam locus N nodi orbitæ , quam earum orbitarum inclinatio . Id præstabimus solutione problematis sequentis .

PRO-

PROBLEMA VIII.

149. *Determinare per observationes locum nodi annuli in ecliptica.*

150. Adhibeantur observationes anni cujuspiam, in quo habitæ fuerint binæ disparitiones, & binæ apparitiones, quarum una erit in transitu plani annuli per solem, & reliquæ tres in ejus occursu cum terra. Illa distinguitur ab his ex ipso tempore, quo debet haberi: facile est ex iis, quæ dicta sunt a num. 127, & ex loco ipso nodi in orbita Saturni proxime cognito discernere illud ex iis quatuor phænomenis, quod pertinet ad transitum annuli per solem, per quod determinabitur locus nodi P in orbita Saturni juxta id, quod diximus num. 115. Oportet habere observationes binorum e reliquis tribus.

151. Si habeantur bina tempora binorum ex iis tribus occursibus; habebuntur ex tabulis astronomicis, vel ex observationibus habitis per eos dies bina loca terræ in ecliptica, adeoque habebitur arcus iis locis interceptus. Capiatur e scala minutorum respondentium segmentis axis lineæ sinuum recta respondens ei intervallo, & fiat (fig. 19) in charta rectangulum HL*lh* habens basim L*l* (quidquid dicemus de litteris H, F, E, L, I, æque intelligendum erit de H', F', E', L', I', si id intervallum sit majus) æqualem ei rectæ, & altitudinem saltem æqualem diametro circuli respondentis lineæ sinuum: per ejus rectanguli medium ducatur recta E*e* parallela basi L*l*, cui erit æqualis, & capta EI ad E*e* in ratione velocitatis annuli ad velocitatem terræ, nimirum 1000 ad 3089, ducatur *e*I: tum id rectangulum excindatur, ut possit promoveri antrorsum retrorsum excurrentibus punctis E, *e* per axem ipsius lineæ sinuum: sint autem F, *f* puncta, in quibus ejus latera secabunt curvam. Exploretur identidem distantia IF, & *ef* circino, donec deprehendantur æquales. Notetur ibi punctum E, vel *e*, & capiatur numerus minutorum contentus in A*e*, vel AE: arcus ipsi respondens erit interceptus in fig. 16 inter punctum A, & locum terræ in ea observatione, qui cum detur ex

dato

dato tempore observationis ipsius, dabitur etiam locus puncti A, & punctum eclipticæ Q, cui respondebit nodus annuli.

152. Demonstratio patet ex eo, quod ita recta FF' debet evadere parallela rectæ *e*I. Nam recta F*f*F solvens problema debet habere directionem, quam habet ipsa *e*I, & abscindere chordam F*f*, cui respondeant in axe bina loca terræ habentia illud intervallum E*e*. Verum puncta E, *e* ita inventa, erunt tantummodo veris proxima, & adhibenda erit correctio analoga iis, quas proposuimus in scholiis problematis superioris, respondens hypothesi assumptæ rationis velocitatum mediarum.

153. *Schol.* 1. Facilior erit determinatio, si ducantur intra rectangulum plures rectæ parallelæ ipsi *e*I, & inter se proximæ, quarum ope sola inspectione patebit positio rectanguli mobilis exhibens chordam F*f* parallelam iis rectis, vel saltem sola inspectione adducetur rectangulum idem ad positionem proximam debitæ, quod ope circini acquiret determinationem accuratam.

154. *Schol.* 2. Major difficultas oritur ex ignota crassitudine annuli, & e difficultate observandi tempora apparitionum, & disparitionum. Crassitudo quidem videtur censenda esse prorsus insensibilis; nam si ea esset sensibilis, deberet reflectere satis luminis, ut videri posset etiam tum, cum planum annuli obvertitur soli, vel oculo: cum enim reliquæ omnes partes omnium planetarum, & ambæ annuli facies reflectant lumen, quod sensum afficiat; videtur analogia quædam requirere, ut ipsa superficies crassitudinis reflectat satis luminis, nisi sit summæ tenuitatis. Verum etiam obliquitas ingens tam respectu solis, quam respectu oculi sufficit ad hoc, ut lumen reflexum evadat insensibile, unde fit, ut apparitio, & disparitio non fiant in ipso appulsu plani annuli ad solem, vel terram. Porro obliquitas, quæ determinat sensibilem disparitionem, & apparitionem, est diversa pro diversa vi instrumentorum, & oculi, ac diversa constitutione atmosphæræ: inde provenit, ut diversi observatores diversis diebus desinant, vel incipiant videre annulum. Eam ob causam non potest ex observatione satis determinate innotescere tempus transitus plani instrumenti per solem, & oculum.

155. Adhuc tamen si conferantur inter se plurimæ observationes, potissimum eæ, quas in posterum Astronomi habere poterunt majore numero, licebit saltem conjecturam capere de correctionibus adhibendis, & de crassitudine annuli, ac obliquitate necessaria respectu solis, & oculi ad percipiendum lumen annuli instrumentis satis bonis cælo satis sereno. Diversæ suppositiones fieri poterunt obliquitatis requisitæ ad initium, vel finem perceptionis, quæ initio assumi poterit æqualis pro oculo, & sole, neglecta prorsus crassitudine reali: tum si ea sola non sufficiat ad inducendum consensum inter calculum dependentem a theoria, & observationes; poterunt adhiberi obliquitates diversæ, altera pro sole, altera pro oculo: ac demum si adhuc habeatur dissensus; induci poterunt etiam diversæ positiones crassitudinum ipsius annuli, quarum effectus habentur in solutione problematis V. Pro æstimando effectu obliquitatis respectu solis, & oculi, oportet habere methodum determinandi ex theoria angulum, quem efficit in centro annuli recta inde tendens ad ipsum solem, vel oculum in data distantia puncti primi a sole, vel loco ordinatæ puncti secundi. Id autem sic facile præstabitur.

156. Concipiatur in fig. 16 planum parallelum plano HKS, quod occurrat plano annuli IKS in recta I*b* parallela KS: sit autem C*a* perpendicularis ipsi I*b*, & S*b* parallela KI occurrat eidem I*b* in *b*: patet, fore S*b* = IK = CH, & I*b* = KS. Cum autem recta SG sit perpendicularis plano eclipticæ, planum HKS erit ipsi perpendiculare, in quo, cum jaceat RQ perpendicularis eorum intersectioni KH, erit ipsa perpendicularis ipsi plano HKS, adeoque etiam *b*S parallela rectis IK, CH erit perpendicularis tam ipsi eidem HKS, quam plano CI*b* ipsi parallelo. Hinc planum CI*b* erit perpendiculare plano I*b*SK, quorum intersectioni I*b* cum sit perpendicularis recta C*a*, erit ipsa perpendicularis plano annuli *b*IKS, & inclinatio radii solaris ad id planum erit angulus CS*a*, quem oportet invenire.

157. Porro is invenitur admodum facile habitâ CI, & inclinatione plani annuli ad eclipticam, quæ si dicatur A, & distantia CS fiat = D, erit CI*a* = HKS = A, tum C*a* = CI × *sin.*CI*a* = CI

$= CI \times sin.A$, & sinus anguli quæsiti $CSa = \frac{Ca}{CS} = \frac{CI \times sin.A}{D}$.

158. Eodem pacto invenitur elevatio oculi supra planum annuli datâ distantiâ IE puncti primi ab ordinata FE transeunte per locum terræ F. Si concipiatur E*d* perpendicularis in *bI*; ea erit distantia perpendicularis puncti E ab eodem plano, quæ erit æqualis distantiæ perpendiculari puncti F ab eodem: ipsa divisa per distantiam FS Saturni a terra, quæ dicatur D', exhibebit sinum anguli, quo recta SF inclinatur ad planum annuli $= \frac{EI \times sin.A}{D'}$.

159. E contrario assumpta inclinatione rectæ tendentis a sole, vel terra ad centrum Saturni invenietur CI, vel IE: si enim ea inclinatio dicatur B, & distantia Saturni a sole, vel a terra sit D; erit C*a*, vel E*d* $= D \times sin.B$, & CI, vel IE $= D \times \frac{sin.B}{sin.A}$. Porro distantia Saturni a sole, & a terra invenitur calculo astronomico.

160. Hæ formulæ requirunt inclinationem plani annuli cognitam; sed satis est habere ipsam veræ proximam, utut non accuratam, ubi agitur de angulo exiguo, in quo lumen reflexum non afficiat oculum ob nimiam obliquitatem. Invenitur, ut jam diximus, inclinatio plani annuli tam ad eclipticam, quam ad planum orbitæ Saturni, si ex observatione transitus ejus plani per solem, & per terram inveniantur arcus NP, & NQ, ex quibus, & angulo N, inveniuntur anguli NQP, NPQ. Verum inclinatio ad orbitam terræ inveniri potest etiam ex forma elliptica, sub qua apparet annulus tum, cum globus Saturni cadit totus intra illam apparentem ellipsim. In ipsa potissimum ope micrometri objectivi obtineri potest ratio axis majoris ejusdem ellipseos ad minorem, & facile demonstratur, esse illum ad hunc, ut est radius ad sinum anguli, quo recta linea visualis inclinatur ad id planum.

trouvoit entre les deux, on ajouteroit 12 signes à la longitude plus petite pour prendre cette différence : on rejeteroit les positions, qui auroient cette différence plus grande que de 90°, parcequ' alors la tache ne seroit pas dans l' hémisphère tourné vers la terre, mais derrière le disque. Le point I seroit le lieu de la tache pour ce jour-là projeté sur le disque du soleil par une ligne perpendiculaire, comme il est sensiblement le rayon visuel.

162. Une suite de ces points marqueroit la route apparente, qu' on y pourroit dessiner par un trait continu. Elle seroit transcendante, & très-haute sans avoir une équation que différentielle, & celle-ci aussi assez compliquée. Dans le temps qu' en considérant la terre comme arrêtée dans un point de l' éclitique éloigné par trois signes des deux nœuds la ligne parcourue par la tache seroit le diamètre Hh, ou $H'h'$, cette courbe composée auroit même un changement de direction dans sa courbure, parcequ' elle devroit en avoir un peu, qui auroit dans une partie de son arc la cavité tournée vers un des deux pôles P', p' de l' équateur, & dans une autre vers l' autre : mais la détermination de tout cela nous meneroit trop loin, & seroit tout-à-fait inutile. On pourroit bien tirer quelque avantage de la projection des lieux observés sur un plan perpendiculaire à l' écliptique, ou sur le plan de celle-ci par les longitudes, & latitudes héliocentriques déterminées de la manière exposée dans les paragraphes III, en employant les valeurs de la table II.

163. Pour le plan perpendiculaire à celui de l' écliptique, sans avoir égard à la position de la terre, on en pourroit prendre un quelconque déterminé par les deux longitudes opposées des points Q & Q' : le point S seroit la projection de deux points de l' écliptique solaire éloignés de ceux-là par trois signes d' un côté, & de l' autre : on prendroit de même les arcs QM, Q'M' égaux aux deux latitudes, on tireroit la corde MKM' : on appliqueroit KM dans un compas de proportion aux nombres 100 des lignes des parties égales : on en prendroit sur cette échelle pour KI le sinus relatif au rayon = 100 de la différence de la longitude de la tache à la longitude d' un de ces deux points intermédiaires :

le point I seroit la projection de cette position de la tache. Tous les points I seroient rangés sur un arc elliptique dans un plan quelconque, à l' exception de ces deux, qui auroient les deux nœuds projetés en S; parcequ' alors les points Q, Q' étant placés à trois signes des nœuds le cercle PQ*p*Q' seroit le colure, qui passe par les deux pôles de l' équateur, & par conséquent l' équateur & tous ses cercles parallèles auroient pour leur projection des lignes droites: ainsi la projection des points observés, qui appartiennent à un arc d' un parallèle, tomberoient sur la ligne droite, qui seroit la projection de celui-là. On verroit la marche de ces points, & si l' on y voyoit quelqu' irrégularité produite par les erreurs des observations, on la corrigeroit en tirant à la main une ligne sensiblement régulière entre ces points. Si l' on trouvoit une ligne droite; on verroit par-là qu' on avoit bien choisi la longitude des nœuds: autrement en la changeant un peu on trouveroit celle, qui donneroit la ligne droite, ce qui détermineroit mieux les vraies longitudes des deux nœuds, & même l' inclinaison de l' équateur; parcequ' une ligne droite parallèle à celle-là tirée par le centre détermineroit les points H, *h* ou H', *h'*, qui seroient les pôles de l' équateur solaire, & leurs distances aux pôles P, *p* de l' écliptique donneroient la mesure de la même inclinaison. Les observations faites vers le commencement de Juin ou de Décembre seroient les plus à propos pour cet objet, parcequ' alors on auroit une suite plus grande de latitudes différentes, & celle-ci donneroit une plus grande longueur de cette ligne droite, qui en détermineroit mieux la direction, & par son moyen tous les deux objets, tandis que dans les observations du commencement de Mars, & de Septembre les latitudes revenant les mêmes feroient tomber une partie des points donnés par l' observation avant & après sur un même segment de la ligne droite.

164. En prenant d' autres plans, on obtiendroit par la ligne régulière tirée entre les points observés un arc elliptique, mais d' une ellipse toujours assez mince par rapport à sa longueur. Quand on a un arc d' une ellipse on en peut trouver le centre, & la

& la position de ses axes, qui pourroient servir pour déterminer tant la longitude des nœuds, que l' inclinaison de l' équateur; mais on détermineroit beaucoup mieux le centre & les axes par un arc d' une ellipse beaucoup plus ouverte, & approchante de la forme circulaire : on auroit des pareilles ellipses par la projection faite sur le plan de l' écliptique, qui seroit encore plus facile : on feroit cette projection de la même manière, qu' on a employé au §. VII pour trouver sur la figure *6* les points D, D', D'', qui sont les mêmes, que dans la figure 5 les projections des points C, C', C'' faites sur le plan de l' écliptique par les lignes perpendiculaires CD, C'D', C''D''. Il suffiroit de faire un cercle d'un rayon SR pris d'une échelle de 1000 parties : on y marqueroit les commencements des signes au moins de deux en deux, ce qui est très-aisé : on y prendroit le surplus pour arriver à la longitude d' une position quelconque de la tache, qu' on marqueroit en B : on tireroit le rayon SB, & on prendroit de la même échelle pour SD le co-sinus au rayon = 1000 de la latitude correlative : on auroit aussi tous les points D pour y tracer l' arc régulier, qui seroit celui de l' ellipse cherchée. On pourroit avoir pour chaque journée plusieurs de ces points en faisant plusieurs observations à plusieurs reprises, comme de deux en deux heures : mais on éviteroit les petites élévations du soleil sur l'horizon, ou on auroit égard à l'effet de l' inégalité de la réfraction dans les différents points du disque, ce qui n' est pas difficile.

165. Une opération de cette espèce pourroit être utile si l' on prenoit un cercle assez grand, & un assez grand nombre de points pour tracer l' arc, & après lui trouver le centre, & les axes de l' ellipse : mais le plus grand avantage seroit celui de connoître, s' il n' y a des résultats des observations sensiblement fautives par l'éloignement de quelques points trop sensible de l'allure réguliè-re des autres, pour les réjeter, en corriger d' autres pour les réduire à une régularité sensible, & en choisir un certain nombre pour y appliquer les méthodes proposées dans tout le cours de cet Opuscule, ou il y a assez de matériaux pour perfectionner toute cette théorie.

Tab.

Tab. I.

$12^j. 2^h. 59'. 9''$	C 0,189799	SI 2,814843
$3 . 25 . 12$	A = 559 , 4 . . 2,747722	*cos.*SIB 9,714352
$12 . 3 . 12 . 10$	AχC = 866'', 0 . . 2,937521	*sin.*SIB 9,932151
$- 3 . 48$	R = $15'. 57 , 4$	BI 2,529195
$12 . 3 . 8 . 22$	$957 , 4$	SB 2,746994
	.SB' = 91 , 4 . . $\bar{8}$,039054	
		Fig. 2
$58', 5$	D = $3°. 55', 5$	.R . . . . . $\bar{7}$,018907
$3 , 1$	SB' = 1 , 5	*sin.*SCI = $43°. 0'$ . . 9,833750
585	*cos.*D' = $3 . 57$ 9,998967	SI = 11
1755	15 1,176091	*sin.*TSC = 42 . 49 . . 9,832288
181,35	B = 43'', 2 . . 1,635484	
30,22	B'I 2,810542	BI 2,529195
7,6	*tan.*B'SI = $81°. 57'$ . . . 0,849596	.SI . . . . . $\bar{7}$,185157
$5^t. 19°. 58,5$		*sin.*CSD = 20 . 37 . . 9,546640
$5 . 20 . 6,1$ = lon. ☉	*cos.*I = $23 . 28$ 9,962508	
	.*cos.*D = $3 . 55 , 5$ . . $\bar{0}$,001020	.*cos.*CSD . . . . . $\bar{0}$,028744
$23', 0$	*cos.*P'SP = $23 . 9$ . . . 9,963528	SB 2,746994
$3 , 1$	SIB = 58 . 48	.SI . . . . . $\bar{7}$,185157
230		*sin.*TSD = 38 . 24 . . 9,793183
690	.*sin.*B'SI . . . . . $\bar{0}$,004301	*lon.* ☿ = $11^s. 20 . 6$
71,30	B'I 2,810542	
11,9	SI = 652'', 9 . . 2,814843	*lon.t* = 10 . 11 . 42
3,0	$11'$	*lat.t* = 20 . 37
$3°. 58,5$		T.M = $12^j. 3^h. 1$
3 . 55,5 = dec. ☉		

Tab.

Tab. II.

	T. M.	lon.s	lat.B.s
1	12ʲ. 3ʰ. 1′	10ˢ. 11°. 42′	20°. 37′
2	13. 2. 32	10. 24. 42	20. 6
3	15. 3. 7	11. 20. 3	19. 33
4	16. 3. 43	0. 3. 1	19. 53
5	17. 3. 18	0. 15. 23	21. 14
6	19. 2. 30	1. 11. 9	22. 45

Tab. III. bin. 3 & 5

C″ − C′ =	.. 1°. 41′ =	101′ ..	7,995679
B″ − B′ =	.. 25. 20 =	1510 ..	3,181844
C − C′ =	.. 1. 4 =	64 ..	1,806180
X =	.. 16. 3 =	963 ..	2,983703
B′ =	11ˢ. 20. 3		
L =	12. 6. 6		
B =	10. 11. 42		
B + L =	22. 17. 48		
long.D =	11. 8. 54		

C − C′ =	.....	33 ..	1,518514
X =	.. 8. 17 =	497 ..	2,696037
B′ =	11. 20. 3		
L =	11. 28. 20		
B =	10. 24. 42		
B + L =	22. 23. 2		
long.D =	11. 11. 31		

Tab. IV.

11ˢ. 8°. 54	}	3 & 5
11. 31		
10. 43	}	4 & 5
14. 51		
12. 14	}	4 & 6
15. 18		
8. 18	}	5 & 6
10. 25		
somme = ..	92. 14	
long.D =	11. 11. 32	

En ôtant la quatrième & la sixième

somme = ..	62. 5
long.D =	11. 10. 21
long.N =	2. 10. 21

Tab.

Tab. V.

N = 2′. 10°. 21″	BC = 19°. 33′	. 1,86455 . . $\bar{9}$,729426	cos.BC . . 9,974212
B′ = 1 . 11 . 9	BC′ = 22 . 45	0,02015 . . 8,304275	sin.DSD′ . . 9,891215
B = 11 . 20 . 3	SD = 0,94235	tan. 64°. 27′ . . 0,320529	sin.D′GF . . 9,774899
SD′H = 29 . 12	SD′ = 0,92220	tan. 1 . 18 . . 8,354230	. C′I . . $\bar{1}$,283329
DSD′ = 51 . 6	1,86455	SD′D = 65 . 45	. sin.SD′D . . $\bar{0}$,040119
supplém. 128 . 54	0,02015	SD′H = 29 . 12	cot. 6°. 12′ . . 0,963674
64 . 27	CD = 0,33463	D′GF = 36 . 33	
	C′D′ = 0,38671		
	C′I = 0,05208		

Tab. VI.

3 : 6	6°. 12′
4 : 6	6 . 22
2 : 5	7 . 28
3 : 5	9 . 26
2 : 3	9 . 12
	38 . 40
	7 . 44

Tab. VII.

long.D = 11′. 10°. 21″	
long.B = 10 . 11 . 42	
cos.BD = . . 28 . 39 . .	9,943279
cot.BC = . . 20 . 37 . .	0,424573
tan.PM = . . 66 . 48 . .	0,367852
PP′ = . . 7 . 44	
sin.P′M = . . 59 . 4 . .	$\bar{0}$,066631
sin.PM	9,963379
tan.BD	9,737471
tan.CP′D = . . 30 . 21 . .	$\bar{9}$,767481

Tab. VIII.

1	30°. 21′
2	16 . 36
3	— 10 . 17
4	— 24 . 0
5	— 37 . 6
6	— 63 . 56

Tab. IX.

4	16′. 3″,7
1	12 . 3 ,0
	4 . 0 ,7
T	96 ,7 . . 1,985426
M = 54°. 21′. =	3261′ . . . $\bar{6}$,486649
	900 . . . 2,954242
T′ = 26′,69	1,426317

Tab. X.

4 : 1 . .	26′,69
5 : 1 . .	26 ,75
6 : 1 . .	26 ,65
5 : 2 . .	29 ,04
6 : 2 . .	26 ,82
6 : 3 . .	26 ,67
	160 ,62
	26 ,77

Tab. XI.

A = 365′,25 . .	2,562590
T′ = 26 ,77 . .	1,427648
(A — T′) = 338 ,48 . .	$\bar{2}$,470468
T″ = 28 ,89 . .	1,460706

Tab.

Tab. XII.

1 . . . B = 10°. 11°. 42′	SD = 0,93596	. 1,87831 . . . . . $\bar{9}$,726232
3 . . . B′ = 11 . 20 . 3	SD′ = 0,94235	0,00639 7,805501
6 . . . B″ = 1 . 11 . 9	SD″ = 0,92220	*tan.* 70°. 49′, 5 . . 0,458736
DSD′ = 38 . 22	1,87831	*tan.* 0 . 33, 7 . . 7,990469
Supplém. . . 141 . 39	0,00639	SD′D = 70 . 16
70 . 49, 5	2,86455	. 1,86455 . . . . . $\bar{9}$,729426
D″SD′ = 51 . 6	0,02015	0,02015 8,304275
Supplém. . . 128 . 54	CD = 0,35211	*tan.* 64°. 27′ . . . 0,320529
64 . 27	C′D′ = 0,33463	*tan.* 1 . 18 8,354230
BC = 20 . 37	C″D″ = 0,38671	SD′D″ = 63°. 9′
B′C′ = 19 . 33	CI = 0,01748	SD″D′ = 65 . 45
B″C″ = 22 . 45	C″I′ = 0,05208	G′D′G = 133 . 25

sin. B′C′ 9,524564	*sin.* B′C′ 9,524564
cos. BC 9,971256	*cos.* B″C″ 9,964826
sin. DSD′ 9,792716	*sin.* D″SD′ 9,891115
. CI . . . . . $\bar{1}$,757459	. C″I′ . . . . . $\bar{1}$,283329
. *sin.* SD′D . . . . . $\bar{2}$,026184	. *sin.* SD′D″ . . . . . $\bar{2}$,049542
D′G = 11,81 1,072179	D′G′ = 5,169 0,713376

D′G′ = 5,169	. 16,979 . . . $\bar{1}$,770088	*cos.* B″C″ 9,964826
16,979	6,641 . . . 0,822233	*sin.* D″SD′ 9,891115
6,641	*tan.* 23°. 17′, 5 . . 9,633069	*sin.* D′G′G 9,734353
G′D′G = 133°. 25′	*tan.* 9 . 33, 5 . . 9,226290	. C″I′ . . . . $\bar{1}$,283329
Suppl. . . 36 . 35	D′G′G = 32 . 51	. *sin.* SD′D″ . . . . $\bar{2}$,049542
23 . 17, 5	SD″D′ = 65 . 45	*cos.* 6°. 49′ . . . 9,922165
	B″SN = 32 . 54	
	B″ = 1°. 11 . 9	
	N = 1 . 14 . 3	

APPENDICE.

Journal des Observations de plusieurs taches du soleil faites à Noslon près de Sens chez S. E. M.gr le Cardinal de Luynes l' année 1777.

1. ON avoit vu le 11 Sept. une belle tache du soleil avancée sur son disque du côté du bord oriental : le jour suivant j'ai commençai à en déterminer les positions à l' aide d' une excellente pendule à secondes, & une machine parallatique, qui avoit une lunette de 27 pouces de foyer de son objectif munie d' un micromètre. La pendule étoit réglée à une méridienne vérifiée plusieurs fois par les hauteurs correspondantes : le même jour 11 on examina le micromètre : on trouva son fil mobile bien d' accord avec le fixe du milieu, quand l' index marquoit zero ; & le diamètre apparent du soleil par un bon nombre d' observations, qui ne différoient de presque rien entr' elles, de 1237 parties, le même étant alors de 31'. 55" dans la Connoissance des temps.

2. J' ai déterminé tous les jours la différence horaire de cette tache, & des autres survenues après au centre du soleil par l' arrivée des deux bords du soleil, & de la tache au fil horaire perpendiculaire au mobile parcouru, ou côtoyé par une des taches, ce qui donne la différence en ascension droite, & pour la différence en déclinaison j'ai porté le fil fixe parallèle au mobile sur chaque tache, & le mobile au bord boréal du soleil.

3. Je mettrai premiérement le nombre des parties du micromètre, qui donnent la distance de la tache au parallèle du bord boréal : en la réduisant en parties du grand cercle, & en l' ôtant du demi-diamètre du soleil, on trouve la différence de déclinaison de la tache à celle du centre, le signe positif indiquant, que la tache est plus boréale, le négatif plus australe : mais on n' en a trouvé aucune plus australe.

4. Je mettrai après les temps des bords, & des taches : la demi-

différence des temps des deux bords donne le temps du centre, qui ôté du temps de la tache, donne la différence horaire en ascension droite, le signe positif indiquant, que la tache est plus orientale, le négatif plus occidentale. Je mettrai ces différences après les observations. On verra, que le mouvement dans 24 heure de la tache par rapport au centre est très-petit : ainsi on pourra prendre le milieu entre plusieurs observations, & l'appliquer à un temps intermédiaire pris en heures, & minutes, en négligeant les secondes, & prenant même les minutes par un à-peu-près.

12. Sept.

bord boréal... 561 ; 555 ; 559 ; 563 ; 559 : milieu 559,4

1 bord..	2h. 59'. 9"	3h. 6'. 42"	3h. 10'. 32"	3h. 14'. 27"	3h. 22'. 3"
tache..	3. 0. 55	3. 8. 29	3. 12. 20	3. 16. 14	3. 23. 51
2 bord..	3. 1. 16	3. 8. 50	3. 12. 40	3. 16. 35	3. 25. 12

Différence ... 42",5 ; 43" ; 44" ; 43" ; 43",5 : milieu 43",2

13. Sept.

5. J'ai déterminé la même tache : j'en ai vu avec un bon télescope une autre très-mince près du même bord, mais on ne la voyoit pas avec la lunette de la machine parallatique.

bord boréal... 526 ; 524 ; 521 ; 527 ; 524 : milieu 524,4

1 bord..	2h. 33'. 4"	2h. 35'. 44"	2h. 39'. 48"	2h. 42'. 33"	2h. 50'. 11"
tache..	2. 34. 41	2. 37. 21	2. 41. 25	2. 44. 11	2. 51. 49
2 bord..	2. 35. 11	2. 37. 52	2. 41. 56	2. 44. 41	2. 52. 21

Différence ... 33",5 ; 33" ; 33" ; 34" ; 33" : milieu 33",3

15. Sept.

7. On voyoit déjà bien la seconde tache plus arrondie avec la petite lunette. La première étoit beaucoup plus grande : avec le grand

télescope on les voyoit bien distinctes avec cette espèce d'atmosphère de petits points, qui d'ordinaire environne le noyau bien noir.

1 tache : bord bor. . . 440 ; 440 ; 440 ; 440 ; 440 : milieu 440
2 tache : bord bor. . . 522 ; 522 ; 522 ; 522 ; 522 : milieu 522

1 bord . .	$3^h.\ 6'.42''$	$3^h.14'.\ 8''$	$3^h.17'.45''$	$3^h.20'.48''$	$3^h.24'.16''$
1 tache . .	3 . 7 . 57	3 . 15 . 23	3 . 19 . 0	3 . 22 . 4	3 . 25 . 32
2 tache . .	3 . 8 . 24	3 . 15 . 49	3 . 19 . 27	3 . 22 . 30	3 . 25 . 58
2 bord . .	3 . 8 . 50	3 . 16 . 15	3 . 19 . 53	3 . 22 . 56	3 . 26 . 24

Différence 1 tache 11" ; 11" ; 11" ; 12" ; 12" : milieu 11",4
2 tache 38 ; 37,5 ; 38 ; 38 ; 38 : milieu 37,9

16. Sept.

8. On voyoit la première tache dans la petite lunette comme un peu allongée ; mais le télescope faisoit voir deux autres petites taches presque contigues entr'elles & à la première, le tout étant environné de cette espèce d'atmosphère de petits points étendue aussi autour des deux nouvelles petites : j'ai continué à observer la même grande, & la seconde du jour précédent bien petite, mais plus grande, que les deux nouvelles, & environnée de son atmosphère.

1 tache : bord bor. . . 388 ; 388 ; 389 ; 390 ; 388 : milieu 388,6
2 tache : bord bor. . . 486 ; 484 ; 484 ; 485 ; 485 : milieu 484,8

1 bord . .	$3^h.42'.35''$	$3^h.45'.29''$	$3^h.48'.22''$	$3^h.51'.19''$	$3^h.54'.\ 3''$
1 tache . .	3 . 43 . 39	3 . 46 . 33	3 . 49 . 25	3 . 52 . 23	3 . 55 . 8
2 tache . .	3 . 44 . 15	3 . 47 . 8	3 . 50 . 1	3 . 52 . 59	3 . 55 . 44
2 bord . .	3 . 44 . 43	3 . 47 . 37	3 . 50 . 30	3 . 53 . 27	3 . 56 . 12

Différence 1 tache 0" ; 0" ; — 1" ; 0" ; 1" : milieu 0"
2 tache 36 ; 35 ; 35 ; 36 ; 36,5 : milieu 35,7

17. Sept.

9. Par le télescope on voyoit la grande tache comme le jour précédent ; mais à la place de deux petites, on n'en voyoit qu'une

une de ce côté-là, & du côté opposé deux très-près l'une de l'autre, & une autre un peu plus éloignée de la grande, toutes avec des atmosphères : la seconde paroissoit bien distincte avec son atmosphère, comme le jour précédent : on la voyoit très-bien dans la petite lunette.

1 tache : bord bor. 331 ; 332 ; 334 ; 334 ; 331 : milieu 332,4
2 tache : bord bor. 442 ; 442 ; 440 ; 441 ; 441 : milieu 441,2

1 bord .. 3h. 18'. 0"	3h. 24'. 23"	3h. 28'. 12"	3h. 31'. 21"	3h. 35'. 12"
1 tache.. 3 . 18 . 53	3 . 25 . 16	3 . 29 . 6	3 . 32 . 15	3 . 36 . 7
2 tache.. 3 . 19 . 18	3 . 25 . 41	3 . 29 . 30	3 . 32 . 40	3 . 36 . 31
2 bord .. 3 . 20 . 7	3 . 26 . 30	3 . 30 . 19	3 . 33 . 29	3 . 37 . 20

Diff. 1 tache — 10",5 ; — 10",5 ; — 9",5 ; — 10 ; — 9" : milieu — 9",9
2 tache 14,5 ; 14,5 ; 14,5 ; 15,5 ; 15 : milieu 14,8

19. Sept.

11. La première tache regardée par le télescope étoit diminuée, mais avoit son atmosphère, & toutes ses compagnes étoient disparues. La seconde & la troisième étoient grossies de manière, que la seconde bien ronde en apparence avoit une petite compagne bien peu éloignée, & la troisième moins mince aussi la sienne. L'une, & l'autre avoient le noyau bien noir entouré de cette espèce d'atmosphère.

1 tache : bord bor. 239 ; 241 ; 240 ; 240 ; 240 : milieu 240
2 tache : bord bor. 330 ; 332 ; 334 ; 332 ; 332 : milieu 332
3 tache : bord bor. 610 ; 609 ; 611 ; 610 ; 611 : milieu 610,2

1 bord .. 2h. 34'. 26"	2h. 37'. 14"	2h. 41'. 51"	2h. 43'. 47"	2h. 46'. 43"
1 tache.. 2 . 35 . 3	2 . 37 . 50	2 . 42 . 26	2 . 44 . 23	2 . 47 . 19
2 tache.. 2 . 35 . 24	2 . 38 . 10	2 . 42 . 47	2 . 44 . 44	2 . 47 . 40
3 tache.. 2 . 36 . 22	2 . 39 . 8	2 . 43 . 46	2 . 45 . 43	2 . 48 . 39
2 bord .. 2 . 36 . 34	2 . 39 . 22	2 . 43 . 59	2 . 45 . 55	2 . 48 . 51

Diff. 1 tache — 27" ; — 28" ; — 29" ; — 28" ; — 28" : milieu — 28"
2 tache — 6 ; — 8 ; — 8 ; — 7 ; — 7 : milieu — 7,2
3 tache 52 ; 50 ; 51 ; 52 ; 52 : milieu 51,4

21. Sept.

21. Sept.

12. Le ciel n' étoit pas assez pur, & de temps en temps en voyant bien tout le disque du soleil, on ne pouvoit pas apercevoir les taches. A' la fin on vit avec la lunette de la machine parallatique la seconde, & la troisième des jours précédents : on voyoit foiblement la petite compagne de la troisième, & une, qu'on crut nouvelle un peu plus boréale, & un peu plus occidentale. On ne put jamais voir la première ni avec la petite lunette, ni avec le télescope, quoique on voyoit de temps en temps aussi bien la seconde peu éloignée de sa place, laquelle pourtant avoit perdu sa petite compagne, & paroissoit plus petite. Voici les déterminations de la seconde & troisième des jours précédents.

2 tache : bord bor. 242 ; 242 ; 240 ; 243 ; 241 : milieu 241,6
3 tache : bord bor. 592 ; 592 ; 594 ; 594 ; 592 : milieu 592,8

1 bord ..	2h. 47'. 29"	2h. 51'. 54"	2h. 55'. 8"	2h. 58'. 45"	3h. 1'. 42"
2 tache ..	2 . 48 . 6	2 . 52 . 32	2 . 55 . 47	2 . 59 . 23	3 . 2 . 20
3 tache ..	2 . 49 . 2	2 . 53 . 28	2 . 56 . 42	3 . 0 . 19	3 . 3 . 16
2 bord ..	2 . 49 . 37	2 . 54 . 2	2 . 58 . 16	3 . 0 . 53	3 . 3 . 50

Diff. 2 tache —27"; —26"; —25"; —26"; —26" : milieu —26"
3 tache 29 ; 30 ; 30 ; 30 ; 30 : milieu 29,8

22. Sept.

13. La seconde tache étoit aussi disparue, & il y en avoit une nouvelle vers le bord oriental, qu' on voyoit bien avec la petite lunette : avec le télescope on en découvroit aussi une autre beaucoup moins éloignée du bord, & très-foible. Dans l' endroit de la troisième on en voyoit trois : une beaucoup plus foible que les deux autres, qu' on y avoit vu le jour précédent : une de ces deux, qui avoit été déterminée ce jour-là, avoit une petite compagne à côté, & je crois que celle-là fût la troisième des jours antérieurs : mais j'ai commencé à déterminer la position de toutes les deux pour le cas, où celle-ci, qui sera ici la précédente

dente des deux mises au num. 3, fut celle, qu'on a observé depuis le 19. La 4 sera la nouvelle.

3 tache : bord bor. { 494; 496; 496; 496; 496 : milieu 495,6
                    { 516; 518; 517; 518; 518 : milieu 517,4
4 tache : bord bor. 641; 640; 640; 640; 640 : milieu 640,2

1 bord ..	2h. 36'. 23"	2h. 39'. 24"	2h. 42'. 30"	2h. 45'. 10"	2h. 48'. 2"
3 tache	2 . 37 . 21	2 . 40 . 23	2 . 43 . 27	2 . 46 . 7	2 . 49 . 0
	2 . 37 . 26	2 . 40 . 28	2 . 43 . 33	2 . 46 . 12	2 . 49 . 5
4 tache ..	2 . 38 . 20	2 . 41 . 23	2 . 44 . 29	2 . 47 . 8	2 . 50 . 0
2 bord ..	2 . 38 . 31	2 . 41 . 32	2 . 44 . 38	2 . 47 . 17	2 . 50 . 10

3 tache { — 6"; — 5"; — 7"; — 6",5; — 6" : milieu — 6",1
        { — 1; — 0; — 1; — 1,5; — 1 : milieu — 0,9
4 tache .... 53; 55; 55; 54,5; 54 : milieu 54,3

23. Sept.

14. La première des deux marquées 3 paroissoit plus grande que la seconde : après la 4 on en voyoit une autre nouvelle plus près du bord.

3 tache : bord bor. { 432; 431; 431; 433; 432 : milieu 431,8
                    { 461; 461; 461; 462; 462 : milieu 461,4
4 tache : bord bor. 610; 610; 609 : 608; 608 : milieu 609

1 bord ..	2h. 28'. 16"	2h. 30'. 55"	2h. 33'. 49"	2h. 36'. 42"	2h. 39'. 11"
3 tache	2 . 29 . 2	2 . 31 . 41	2 . 34 . 34	2 . 37 . 27	2 . 39 . 57
	2 . 29 . 7	2 . 31 . 46	2 . 34 . 39	2 . 37 . 32	2 . 40 . 1
4 tache ..	2 . 30 . 7	2 . 32 . 45	2 . 35 . 34	2 . 38 . 32	2 . 41 . 2
2 bord ..	2 . 30 . 24	2 . 33 . 3	2 . 35 . 57	2 . 38 . 50	2 . 41 . 19

3 tache { — 18"; — 18"; — 19"; — 19"; — 18" : milieu — 18",4
        { — 13; — 13; — 14; — 14; — 14 : milieu — 13,6
4 tache .... 47; 46; 46; 46; 47 : milieu 46,4

25. Sept.

25. Sept.

15. J' ai déterminé la position des trois mêmes précédentes : il y en avoit une autre nouvelle plus près du bord ; mais je n' en ai pas pris la position.

3 tache : bord bor. { 474 ; 474 ; 474 ; 474 ; 475 : milieu 474,2
{ 500 ; 500 ; 500 ; 500 ; 501 : milieu 500,2
4 tache : bord bor. 562 ; 562 ; 563 ; 563 ; 563 : milieu 562,6

1 bord ..	2h. 23'. 17"	2h. 27'. 25"	2h. 30'. 1"	2h. 32'. 55"	2h. 35'. 41"
3 tache	2 . 23 . 51	2 . 27 . 59	2 . 30 . 36	2 . 33 . 30	2 . 36 . 15
	2 . 23 . 56	2 . 28 . 4	2 . 30 . 41	2 . 33 . 35	2 . 36 . 20
4 tache ..	2 . 24 . 56	2 . 29 . 5	2 . 31 . 41	2 . 34 . 35	2 . 37 . 20
2 bord ..	2 . 25 . 25	2 . 29 . 33	2 . 32 . 9	2 . 35 . 3	2 . 37 . 49

3 tache { — 30" ; — 30" ; — 29" ; — 29" ; — 30" : milieu — 29",6
{ — 25 ; — 25 ; — 24 ; — 24 ; — 25 : milieu — 24 ,6
4 tache .... 35 ; 36 ; 36 ; 36 ; 35 : milieu 35 ,6

26. Sept.

16. On voyoit avec beaucoup de difficulté les deux marquées 3 : on voyoit très-bien la quatrième avec sa suivante, qui en avoit plusieurs plus petites vers la précédente, comme aussi on voyoit encore la nouvelle plus près du bord. M. Brisson de l' Académie des Sciences a été présent à l' observation : je lui ai fait voir les taches, & directement sur le soleil par la petite lunette, & par le télescope, & sur l' image prise tant vis-à-vis de la lunette, que renvoyée à côté par un petit miroir de métal appliqué devant l' oculaire.

3 ta-

3 tache : bord bor. { 338 , 336 , 339 ; 338 ; 337 : milieu 337,6
{ 357 ; 358 ; 358 ; 357 ; 357 : milieu 357,4
4 tache : bord bor. 507 ; 508 ; 508 ; 509 ; 509 : milieu 508,2

1 bord ..	3h. 2'. 22"	3h. 5'. 11"	3h. 8'. 3"	3h. 11'. 33"	3h. 15'. 52"
3 tache	3 . 2 . 47	3 . 5 . 35	3 . 8 . 28	3 . 12 . 0	3 . 16 . 16
	3 . 2 . 52	3 . 5 . 40	3 . 8 . 33	3 . 12 . 5	3 . 16 . 21
4 tache ..	3 . 3 . 52	3 . 6 . 40	3 . 9 . 33	3 . 13 . 5	3 . 17 . 21
2 bord ..	3 . 4 . 30	3 . 7 . 19	3 . 10 . 11	3 . 13 . 41	3 . 18 . 0

3 tache { — 39" ; — 40" ; — 39" ; — 37" ; — 40" : milieu — 39
{ — 34 ; — 35 ; — 34 ; — 32 ; — 35 : milieu — 34
4 tache ..... 26 ; 25 ; 26 ; 28 ; 25 : milieu 26

27. Sept.

17. Les deux marquées 3 n'étoient plus visibles : j'ai déterminé la seule 4, mais à côté de sa compagne il y en avoit plusieurs, comme aussi on voyoit bien les deux autres des jours précédents avec d'autres petites : je n'en parlerai plus, & je me bornerai à la seule détermination de la 4 ; puisque le départ de Noslon fixé pour le commencement d'Octobre rend inutile la détermination des nouvelles.

4 tache : bord bor. 470 ; 468 ; 470 ; 468 ; 470 : milieu 469,2

1 bord . . .	2h. 25'. 47"	2h. 28'. 36"	2h. 31'. 25"
4 tache . . .	2 . 26 . 47	2 . 29 . 36	2 . 32 . 25
2 bord . . .	2 . 27 . 54	2 . 30 . 43	2 . 33 . 33

4 tache . . . 2",5 ; 3",5 ; 4" : milieu 3",3

28. Sept.

18. On voyoit bien toutes les taches du jour précédent avec du changement dans leurs petites compagnes, & sans aucune nouvelle vers le bord oriental : j'ai déterminé la position de la seule marquée 4.

4 tache : bord bor. 398 ; 398 ; 399 ; 399 : milieu 398,5

1 bord . . .	2ʰ. 20′, 16″	2ʰ. 24′. 44″	2ʰ. 27′. 32″	2ʰ. 33′. 56″
4 tache . . .	2 . 21 . 3	2 . 25 . 32	2 . 28 . 18	2 . 34 . 43
2 bord . . .	2 . 22 . 24	2 . 26 . 52	2 . 29 . 40	2 . 36 . 4

4 tache — 17″; — 16″; — 18″; — 17″ : milieu — 17″

29. Sept.

19. On voyoit très-bien les taches des jours précédents : celle, que je continuois à déterminer, étoit belle, isolée, pure : autour de deux autres il y avoit un bon nombre des petites, surtout autour d' une des deux : on voyoit une nouvelle bien belle, isolée, pure, très-près du bord oriental, sur lequel elle avoit monté probablement peu après l' observation du jour précédent. Le départ fixé pour le 1 Oℜ. ne permit pas d' y faire attention.

4 tache : bord bor. 333 ; 333 ; 333 ; 333 : milieu 333

1 bord . . .	1ʰ. 52′. 49″	1ʰ. 55′. 36″	1ʰ. 58′. 17″	2ʰ. 1′. 3″
4 tache . . .	1 . 53 . 25	1 . 56 . 12	1 . 58 . 54	2 . 1 . 39
2 bord . . .	1 . 54 . 57	1 . 57 . 44	2 . 0 . 25	2 . 3 . 11

4 tache — 28″; — 28″; — 27″; — 28″ : milieu — 27″,7

20. Ayant fait toutes ces observations, j' ai calculé après la position géocentrique & héliocentrique de la première tache seule, pour en déduire les éléments de la révolution du soleil autour de son axe dans l'Opuscule précédent, où j' en ai développé toute la théorie.

OPU-

OPUSCULUM III.

De determinatione longitudinis penduli oscillantis ad singula secunda temporis medii.

INTRODUCTIO.

1. LONGITUDO penduli simplicis oscillantis ad singula secunda temporis medii est distantia puncti suspensionis, quod est centrum circuli descripti, usque ad id punctum, in quo concipitur unitum totum pondus oscillans, factâ abstractione a mole, & figura ponderis, ac a pondere fili, cui affigitur, & concipiendo oscillationes excurrentes per arcus minimos ita, ut singulis horis temporis medii respondeant accurate oscillationes 3600 : si libet, addi potest conditio oscillationum factarum in vacuo.

2. Hæ conditiones haberi non possunt in experimentis, in quibus debet adhiberi pondus molis, & figuræ cujusdam, ac suspendi per filum : res esset nimis molesta reductio longitudinis penduli ad eam, quæ exhibeat accurate eum numerum secundorum eo tempore : arcus debent esse cujusdam magnitudinis, ut observari possit numerus oscillationum, & oscillationes conservari possint tempore satis longo ad habendum numerum satis magnum, in quo error exiguæ partis unius oscillationis distributus per totum numerum evadat insensibilis respectu longitudinis determinandæ per numerum eundem. Observatio potest quidem institui in vacuo saltem eo, quod obtineri potest in machina pneumatica, sed ob difficultatem ejus observationis plerumque fit in aere libero.

3. Quod pertinet ad molem & figuram, ad virgam, vel filum, habetur remedium ei malo ex formulis Hugenii pro centro oscillationis. Datâ figurâ & pondere tam massæ oscillantis, quam fili sustinentis, & distantiâ ipsius molis a puncto suspensionis,

quod sit centrum arcus descripti, invenitur facile per eas formulas distantia puncti suspensionis a centro oscillationis, in quo si totum pondus & massæ, & fili esset compenetratum, oscillationes essent æque diuturnæ. Omnis cura observatoris ex eo capite debet collocari in seligenda materia, & figura massæ, quæ debet esse homogenea sine vacuis interpositis, & sine inæqualitate densitatis, & seligenda forma suspensionis, ac habendo accurate pondere tam massæ, & eorum omnium, quæ adhibentur pro suspensione, ac simul moveri debent, quam fili, cum distantia puncti suspensionis ab aliquo puncto dato massæ ipsius.

4. Reductio ad oscillationes accurate respondentes secundis temporis medii facile evitatur assumptâ longitudine quavis, & notato numero oscillationum ipsius, qui respondeat dato cuipiam numero secundorum eorundem satis magno: cum enim ex legibus gravitatis Galileanæ, & compertis Hugenii circa descensus in curvis lineis debeant esse quadrata numerorum oscillationum factarum dato tempore reciproce ut longitudines pendulorum; determinatâ ea longitudine, & eo numero oscillationum, invenitur facile longitudo, quæ respondeat accurate singulis secundis, faciendo ut quadratum numeri secundorum ad quadratum numeri oscillationum habiti ex observatione, ita longitudo determinata penduli adhibiti assumpta a puncto suspensionis usque ad centrum oscillationis ad longitudinem quæsitam. Quare omnis cura observatoris ex eo capite post determinatam longitudinem penduli simplicis isochroni suo pendulo debet collocari in determinando accurate numero oscillationum ipsius respondentium tempori satis longo, & numero secundorum temporis medii respondentium eidem tempori, habitâ ratione, si opus sit, etiam partis unius oscillationis.

5. Magnitudo arcus minus accurate compensari potest, quam superiora duo capita. Potest observari satis accurate magnitudo arcus cujusvis oscillationis: potest per theoriam corporum oscillantium determinari ratio temporis ejus oscillationis ad tempus per arcus minimos, unde profluit ratio numeri oscillationum ipsi æqualium ad numerum oscillationum, qui haberetur in arcubus minimis eodem tempore, adeoque hic ipse numerus. Sed oscillationes

nes non durant diu magnitudinis ejusdem potissimum in aere : hujus resistentia , & resistentia aliqua in puncto suspensionis , quæ agit etiam in machina pneumatica , imminuunt sensim ipsos arcus . Adhuc tamen potest afferri remedium etiam huic malo , determinando per observationem factam identidem ipsam magnitudinem arcus . Ope ejus determinationis potest evitari omnis error sensibilis adhibito calculo idoneo : potest itidem effici , ut inæqualitas arcuum non sit ita notabilis , reddendo identidem motum ipsi pendulo , & determinando per idoneam observationem effectum impulsionis adhibitæ in acceleranda per eam vim extraneam ea oscillatione . Hinc omnis cura observatoris ex eo capite debet collocari in seligenda methodo accurata determinandi magnitudinem arcus oscillationis identidem , & , si libeat restituere motum , in seligenda methodo imprimendi motum novum , & determinandi quantitatem , per quam prima oscillatio impulsionis novæ acceleratur vi illa externa , ac in adhibendis diligenter methodis , quæ fuerint selectæ .

6. Effectus aeris extra machinam pneumaticam est duplex : primo quidem ejus gravitas imminuit vim gravitatis massæ per quantitatem respondentem gravitati specificæ utriusque . Immi nutio celeritatis cujusvis oscillationis , adeoque numeri oscillationum respondentium dato tempori , facile computatur data ratione earum gravitatum specificarum . Deinde resistentia , quæ oritur e motu impresso aeri a massa oscillante , retardat itidem oscillationes singulas , adeoque imminuit numerum oscillationum respondentium dato tempori . Ea accurato calculo determinari non potest , cum nondum inventa sit ratio determinandi per calculum effectus resistentiæ fluidorum potissimum elasticorum sine hypothesibus arbitrariis . Ipsa imminutio arcus oscillationum , quam diximus observari debere identidem , potest prodesse ad æstimandum effectum resistentiæ , in ordine ad producendum tempus cujusvis oscillationis . Verum evitatur plurimum ejus effectus , si adhibeatur pondus non exiguum , quod quo est majus cum majore densitate materiæ adhibendæ , quæ imminuat molem , eo is effectus est minor , adeoque error residuus in ejus effectus æstimatione est minor .

nor. Deinde potest inquiri in eum effectum per observationes, observando nimirum eodem pendulo in aere libero, & in vacuo machinæ pneumaticæ, atque id adhibendo arcus variæ magnitudinis. Diversa aeris densitas orta ex diversa constitutione atmosphæræ inducit aliquod discrimen: sed imprimis id debet esse admodum exiguum, & cum totus effectus sit jam exiguus, videtur id discrimen tuto negligi posse. Deinde posset inquiri in id ipsum per seriem observationum institutarum in diversis constitutionibus barometri expositi aeri libero, vel in diversis altitudinibus barometri inclusi machinæ pneumaticæ, aere magis, vel minus exhausto. Observatoris cura ex eo capite reducitur ad summum ad observandum identidem statum barometri, & thermometri tempore suæ observationis.

7. Observatio thermometri necessaria est etiam ad habendam longitudinem penduli, quæ non potest determinari ab observatore, nisi per comparationem cum aliqua mensura metallica, in qua habeatur accurata longitudo pedum aliquot, ut trium. Cum ea varietur, variatâ altitudine thermometri, necessarius est hujus status ad comparandas inter se longitudines penduli simplicis observatas in diversis locis reducendo ipsas ad statum communem cujuspiam temperaturæ constantis.

8. Dicendum de singulis, quæ proposita sunt, & pertinent ad observationem rite instituendam, ac deducendam inde quæsitam longitudinem penduli simplicis: 1 de materia massæ oscillantis: 2 de figura: 3 de magnitudine, & ejus mensura: 4 de filo sustinente massam: 5 de suspensione: 6 de mensura distantiæ centri arcus oscillando descripti ab aliquo puncto dato ipsius massæ: 7 de determinando numero oscillationum respondentium tempori longo: 8 de determinando numero secundorum temporis medii, qui respondet eidem tempori: 9 de determinanda magnitudine arcus descripti: 10 de restituendo motu: 11 de determinanda acceleratione primæ oscillationis post impulsum facta per vim extraneam. Addetur methodus deducendi ex magnitudine arcuum identidem observata, & numero oscillationum inter eas arcuum observationes numerum oscillationum, quæ haberentur, si arcus essent mi-

minimi omnes, & methodus eruendi inde longitudinem quæsitam penduli illius idealis, cum aliis nonnullis, quæ cum eodem argumento connexa sunt.

§. I.

De materia massæ oscillantis.

9. QUO gravitas specifica est major, eo massa est aptior ad minuendum effectum resistentiæ aeris. Hinc aurum esset omnium aptissimum; verum id commodum ejus metalli nimis pretiosi est nimis exiguum supra alia, ut idcirco videatur potius adhibendum aliud communius. Videtur maxime idoneum aurichalcum. Adhibenda est tam in fusione, quam post, diligentia ad evitanda interna spatiola vacua: possent post fusionem adhiberi ictus mallei, quorum vis ea posset implere. Adhuc tamen ei etiam malo remedium afferri poterit, licet aliqua vacuola supersint, ut mox patebit.

§. II.

De figura massæ oscillantis.

10. QUÆCUNQUE figura adhibeatur, potest semper determinari centrum oscillationis: adhuc tamen censeo omnium maxime idoneam figuram sphæricam, in qua est facilior suspensio, quæ non lædat figuram, nec inducat positionem minus idoneam ad determinandum centrum oscillationis commune: eadem est magis uniformis pro resistentia aeris æstimanda: in eadem facilius corrigitur effectus cavitatis cujuspiam, vel densitatis inæqualis mutando punctum affixionis in diametraliter oppositum: in globo, cujus diameter non est nimis magna respectu longitudinis penduli, vitia exiguæ inæqualis densitatis, vel exiguorum foraminum internorum inducunt in iis binis suspensionibus oppositis effectus contrarios ita æquales ad sensum, ut omnis error sensibilis evitetur, capiendo medium inter numeros oscillationum, si ii inveniantur inæquales post ejusmodi conversionem: proderit adhibere

non

non solum binas suspensiones e diametro oppositas, sed etiam plures pertinentes ad plures diametros ejusdem globi.

11. Cavendum, ut forma sit accurate sphærica: forma accurate conica facilius efformatur ab artifice, & verificatur ab observatore: adhuc tamen, diligentiâ ingenti adhibitâ potest induci figura sphærica accurata, & potest verificari eâdem methodo, quæ adhibebitur ad habendam magnitudinem diametri: patebit enim, an omnes diametri sint æquales inter se, quærendo magnitudines plurium diametrorum.

§. III.

De magnitudine, & ejus mensura.

12. MAGNITUDO est arbitraria: nollem nimis exiguam, ut minuatur effectus resistentiæ aeris, nimis magnam, ut melius compensentur inæqualitates internæ, si adsint, per suspensiones e diametro oppositas: potest adhiberi diameter duorum, vel trium pollicum.

13. Determinatio accurata magnitudinis diametri est necessaria, quia centrum oscillationis globi ex compertis Hugenii est infra centrum sphæræ per $\frac{2}{5}$ tertiæ proportionalis post distantiam puncti suspensionis a centro globi, & semidiametrum ipsius. Porro ex eo ipso theoremate haud difficulter eruitur hoc aliud, errorem commissum in positione centri oscillationis, nimirum in longitudine penduli simplicis isochroni ei pendulo adhibito, fore paullo minorem dimidio errore commisso in mensura diametri ipsius globi. Id demonstrabitur num. 93.

14. Instrumentum idoneum ad eam determinationem potest esse ejus formæ, quam exhibet fig. 1 (Tab. V), quæ est parum absimilis ab iis micrometris, quæ addi solent telescopiis astronomicis. ABCD est rectangulum, cujus latera AB, DC sunt duplo longiora lateribus AD, BC. Constat quatuor laminis metallicis, cujus latitudines arbitrarias terminant latera interna *abcd*; altitudo itidem arbitraria debet esse ejusmodi, ut intra lineas *ad*, *bc* possint in iis excavari crenæ, quæ excipiant lamellas minus altas

HIE*b*,

HIE*h*, GKF*g* affixas laminæ EF*fe* parallelæ laminis AB, DC ejusdem altitudinis cum ipsis. Hanc instrumenti partem exhibet figura 2 oblique positam, quæ debet excurrere motu parallelo ope laminarum IH, KG excurrentium intra eas crenas, quæ determinabunt parallelismum perpetuum lateris *ef* respectu *ab* in eo excursu.

15. Eæ crenæ facilius fient sequenti pacto: concipiantur (fig. 1) rectæ *ba*, *cd* productæ usque ad AD in *a*‴, *d*‴, & *aa*‴, *dd*‴ sectæ bifariam in *a*`, *d*`. Potest effici lamina *a*`*a*‴*d*‴*d*` triplo tenuior laminis B*a*‴, C*d*‴ adnexa imæ ipsarum crassitudini: tum per cochleas ipsi adnecti binæ aliæ, altera minus lata *a*`*a*‴*d*‴*d*`, altera latior *aa*‴*d*‴*d*, atque idem fiet ex parte opposita per laminas *b*`*b*‴*e*‴*e*`, *bb*‴*e*‴*e*, superficiebus supremis laminarum *ad*‴, *cb*‴ congruentibus cum superficiebus supremis laminarum crassarum AB, DC. In *aa*`*d*`*d*, & *bb*`*c*`*c* habebitur spatium vacuum ad excipiendam laminam IH. Excursus rectæ *fe* parallelus fiet ope cochleæ (fig. 1) insertæ mediis lateribus AB, DC in L, M, & mediæ laminæ EF habenti foramen cochleatum in N. Possent itidem foramina, quæ debent excipere ejusmodi cochleam excavari in frustis metallicis affixis superficiei vel superiori, vel inferiori laminarum AB, DC, EF. Affixio cochleæ in medio longitudinum AB, DC, EF proderit ad habendum facilius motum parallelum tertiæ uniformem utrinque. Circulus QR affixus lateri DC habebit divisiones pro partibus singularum revolutionum, & index O affixus manubrio mobili P ipsius cochleæ determinabit partes ipsas. Latera *ad*, *bc* habebunt in superficie superiore divisionem aliquot pollicum, & linearum, quæ subdivisio in lineas erit inutilis in pollice primo. Posset autem ipsi laminæ EK affigi etiam ex utraque parte nonius, qui exhiberet partes aliquotas linearum. Satis esset divisio alterius tantum e lateribus *ad*, *bc* cum altero tantum nonio ipsi affixo; sed si divisio habeatur utrobique cum nonio utroque, determinatio duplex erit magis certa, & magis certus parallelismus linearum *ab*, *ef*. Quin immo si forte regulæ parallelismus non fuerit accuratissimus, ea duplex divisio indicabit quantitatem inclinationis per differentiam positionis punctorum *e*, & *f* respectu divisionum correspondentium, quæ inæqualitas exigua distri-

buta per totam longitudinem *ab* æqualiter, indicabit accuratam distantiam TS lateris *ef* ab ipso latere *ab* in quavis distantia *a*S ab *a*. Verum si instrumentum sit satis affabre elaboratum, ut superficies IH, KG contingant accurate superficiem crenæ, cui inseruntur, motus non poterit haberi sine continuo accurato parallelismo: quam ob rem posset ipsum instrumentum fieri fere duplo minus, laminâ BC positâ prope cochleam, & factis lateribus AB, DC paullo longioribus, quam sint BC, AD.

16. Usus instrumenti est manifestus: collocato globo, cujus diameter ST, supra planum horizontale, apponetur instrumentum in positione horizontali elevatum ad altitudinem proximam radio globi, qui radius debebit esse paullo minor altitudine facierum superiorum A*b*, E*f* ipsius instrumenti: id facile fiet suppositis cuneis duplicibus, & positis ita, ut anguli singulorum binariorum spectent partes contrarias, cujusmodi sunt cunei AB, CD in fig. 3: admovendo bases A, C ad se invicem elevatur planum AB, & removendo illas, hoc deprimitur; ut admodum facile sit adducere ope trium, vel quatuor ejusmodi binariorum facies superiores instrumenti figuræ 1 ad altitudinem tantillo majorem altitudine centri globi. Idem præstari poterit ope quatuor cochlearum longiorum, quæ affigantur angulis ABCD. Applicabitur alterum extremum S diametri globi ad latus *ab*, & adducetur ope cochleæ latus *ef* ad alterum extremum T, notato in ejusmodi motu appulsu puncti *f*, & *e*, vel cujuspiam lineæ nonii ad aliquam e divisionibus lateris *ad*, & *bc*, ac numero particularum conversionis ulterioris usque ad contactum in T.

17. Patet, hoc pacto haberi posse diametrum ST accuratissime, quæ nimirum erit æqualis rectis *ae*, & *bf*; & si forte eæ sint inæquales, correctio erit facilis, factis ut *ab* ad semidiametrum globi proxime definitam æqualem *a*S, ita earum differentia ad particulam addendam *ae*, si ea fuerit brevior quam *bf*, vel ab ea auferendam, si fuerit longior. Habebitur divisio lineæ in partes 3600: quin immo sensibiles esse possunt etiam particulæ plures singularum divisionum, ut possit obtineri mensura $\frac{1}{10000}$ par-

partis unius lineæ, quæ inducat errorem diametri minorem $\frac{1}{10000}$ parte lineæ, adeoque evitet errorem in longitudine penduli minorem $\frac{1}{20000}$ parte lineæ; si nimirum satis accuratæ fuerint divisiones instrumenti, & cochlea: ea exactitudo in iis sperari omnino non potest; sed multo minor sufficit ad rem præsentem. Globus ponetur inter cochleam, & alterum e binis lateribus AD, BC, alterâ remanente inutili: sed videtur multo utilior positio cochleæ in media longitudine quam brevitas laminarum. Longitudo *ab* debebit esse dupla maximæ diametri globi adhibendi: videtur abunde esse, si habeat longitudinem paullo majorem quatuor pollicibus, ut globi binorum pollicum commode inseri possint inter cochleam, & latus ipsi parallelum.

18. Porro satis patet, eo instrumento inquiri posse in ipsam figuræ sphæricæ perfectionem. Nam conversione globi facta directionibus plurimis inter rectas *ab*, *ef*, apparebit, an aliqua diameter minor recedat ab altero contactu, vel major conversionem impediat: si inveniatur aliqua exigua inæqualitas in diametris globi; potest ingens earum numerus determinari methodo superiori, & assumi medium arithmeticum: sed præstabit uti globo accurate sphærico.

§. IV.

De filo sustinente massam oscillantem.

19. Si ageretur non de determinatione longitudinis penduli simplicissimi mente sola concepti, cujus totum pondus concipitur collectum in unico puncto, sed de comparanda gravitate in diversis terræ locis ope ejusmodi penduli solidi translati ex uno loco in alium, oporteret suspendere massam oscillantem per virgam solidam inflexilem affixam supernæ machinulæ habenti longitudinem perpendicularem ipsi virgæ, & desinenti in binas acies impositas fulcris constantibus ex materia admodum dura. Tum enim gravitatis discrimen habetur e solo numero oscillationum ejusdem pen-

duli. At ubi agitur de determinanda longitudine penduli simplicis, ad habendum tutius centrum oscillationis oportet adhibere potius filum, cui affigatur globus.

20. Si quis velit suspensionem ope machinulæ transversalis desinentis in binas acies impositas binis fulcris; adhibebit filum metallicum rigidum, cui ipsa virga transversalis pareat, ut in tota oscillatione figura totalis conservetur illæsa, & partes singulæ tam fili metallici, quam ejus virgæ ipsum sustinentis describant arcus circuli similes circa axem conversionis; nam ea conditio assumitur in determinanda distantia centri oscillationis a suspensione, quæ distantia est quæsita longitudo penduli simplicis. Defectus rigiditatis summæ, qui semper occurrit in ejusmodi filo metallico exiguæ crassitudinis, ut unius lineæ, conjunctus cum aliqua rigiditate, quæ reddat minus facilem flexum partium exiguarum totius longitudinis, posset inducere metum curvaturæ alicujus ejusmodi fili in tota sua longitudine, ne nimirum a pondere massæ appensæ non possit ita tendi, ut maneat in tota oscillatione accurate rectum. In eo casu posset mutari nonnihil distantia globi ab axe conversionis, & haberi dissimilitudo arcuum descriptorum a singulis ejus punctis, & a punctis virgæ transversalis, quæ officerent accuratæ determinationi longitudinis penduli simplicis. Vis, quæ conatur inducere ejusmodi flexionem, est illa, quæ inducitur a nisu partium propiorum axi conversionis ad describendos arcus suos breviore tempore: is nisus est admodum exiguus, & videtur debere producere effectum insensibilem: at id ipsum indigeret accuratiore determinatione.

21. Si adhibeatur filum metallicum; oportet habere & densitatem ejus fili uniformem, & crassitudinem eandem ubique, ut rite computetur ipsius effectus in elevando centro oscillationis: pro eodem autem habenda ratio etiam effectus illius machinulæ transversæ simul oscillantis, cui id affigitur, is ob ejus viciniam respectu axis conversionis erit perquam exiguus, sed ubi agitur de particulis minoribus $\frac{1}{100}$ lineæ; computandus erit, ut certo constet, quid præstet. Ea machinula constat prismate basis quadrangu-

gularis desinente in duo prismata basium triangularium : ipsam refert figura 4. ABCD est basis rectangularis ima horizontalis, EFGH summa prismatis prioris : prisma posterius triangulare alterum habet pro basibus verticalibus triangula MIL, EKF, alterum triangula HNG, QOP : acies sunt IK, NO, quæ sunt productiones rectæ KN secantis bifariam latera basis AB, DC : in ipsa basi debet haberi apertura T in medio, cui inseratur filum illud metallicum crassitudinis prorsus ejusdem, & solidissime affigatur : ita autem erunt collocanda fulcra, quibus debent inniti illæ acies, ut recta ipsas excipiens remaneat vel prorsus accurate, vel saltem quamproxime horizontalis, quo casu pondus massæ appensæ nullam sensibilem vim inferet filo ferreo ad habendam positionem verticalem penduli.

22. Satius esset efficere, ut acies IK, NO responderent non basi imæ ABCD, sed punctis parum admodum altioribus, quam sint centra laterum AEFB, DHGC : eo pacto oscillatio ipsius machinulæ non turbaret oscillationem massæ, & fili metallici eam sustinentis, quæ fieret tanquam si ea machinula non adesset. Sed cavendum erit, ut binæ ipsæ acies respondeant accurate eidem rectæ lineæ, quæ sit parallela basi BD, quod facilius, & tutius præstatur, ubi eæ acies sunt productiones ejusdem rectæ KN : eam ob causam fortasse in machinula adhibita a Grahamo ad hanc rem, quæ nunc habetur Parisiis, acies habent eam positionem.

23. Filum ipsum metallicum debet firmiter adnecti globo. In ea machina adhibita a Grahamo id fit ope cochleæ, quam habet ima pars ipsius fili metallici : ea introducitur in foramen cochleatum globi, quem ipse adhibuit. In eo globo habentur quatuor ejusmodi foramina in extremis binarum diametrorum sibi invicem perpendicularium, ut possit mutari locus ipsius affixionis ad agnoscendum, & corrigendum effectum exiguæ inæqualitatis, quam forte habeat densitas interna globi. Verum oportebit deinde habere rationem vacuorum, quæ remanent in foraminulis, quibus non immittitur filum cochleatum. Jam vel inde constat, hanc methodum esse multo complicatiorem, quanquam in ea habetur major

jor certitudo accuratæ determinationis puncti suspensiónis, quod est centrum arcuum descriptorum.

24. Methodus multo simplicior est illa, quæ adhibet filum tenué prorsus flexile ex substantia habente pondus minimum. Ejus affixio est multo simplicior: ejus pondus est ita exiguum, ut in æstimatione quantitatis, per quam id elevat centrum oscillationis, nullus error sensibilis timeri possit. Solent adhibere ad eum usum id fili genus, quod appellant *fil de pite*, quod non sit intortum: est enim leve, & flexile: sed cavendum, ut sit crassitudinis idoneæ ad sustinendum onus non nimis exiguum, ut globi metallici habentis diametrum unius, vel potius duorum pollicum. Credo, tuto adhiberi posse sericum, quod admodum tenue potest sustinere pondus satis magnum. In ejusmodi filis, quæ sunt intorta, illud solet esse incommodum, quod facile aguntur, & agunt in gyrum globum appensum: quo motu etiam producitur filum ipsum inter oscillandum. At id incommodum evitatur facile duplicando filum ipsum, & removendo a se invicem bina ejus superiora capita, quod jam pertinet ad suspensionem. Huc pertinet illud, quod ob ejusmodi duplicationem seligi potest filum magis tenue. Assumenda sunt plura diversæ tenuitatis, & singulis duplicatis appendendus est globus maximi ponderis eorum omnium, quæ adhibenda sunt, donec deveniatur ad eam crassitudinem, in qua filum confringitur: filum paullo crassius ipso seligi potest, quod erit maxime omnium idoneum. Filum tenue metallicum, ut aureum, vel argenteum, non adhiberem ob defectum flexilitatis: prope punctum suspensionis metuenda est curvatura per intervallum non ita exiguum, ut possit negligi: potest tamen adhiberi ita, ut ex parte superiore adnectatur filo serico maxime flexili prope suspensionem ipsam superiorem ita, ut per unam, vel duas lineas infra eam suspensionem habeatur filum sericum, reliquum omne sit argenteum: id præferrem reliquis omnibus. Id nihil metuit ab humiditate, quæ si mutetur tempore observationis, poterit mutare longitudinem fili serici: eadem nullam sensibilem mutationem inducet in longitudinem adeo exiguam filorum sericorum, quibus argenteum est affixum: ne calor mutatus huic noceat, caveri potest

est retinendo ope thermometri eundem ad sensum caloris gradum.

25. Ad impediendam ex parte tensionem diversam fili serici ortam e diversa vi tendente, potest adhiberi frictio tenuis cum cera, quæ tamen omitti debet in situ proximo ei, per quem fit suspensio superior fili ipsius, ubi debet curari flexilitas, quæ maxima haberi potest: habebitur autem satis magna ad habendum centrum motus in ipsa affixione, si filum sit satis tenue, & ibi allidatur compressione ingenti, de qua re paullo inferius, ubi agemus de suspensione. Discrimen vis tendentis provenit a diversa obliquitate positionis fili in diversis punctis ejusdem oscillationis, & a diversa vi centrifuga respondente diversis velocitatibus motus circularis in iisdem diversis punctis. Utraque vis tendens est maxima in ima oscillatione, in qua filum acquirit positionem verticalem, & in qua vis centrifuga est maxima. Quo pacto inquirendum sit in effectum ejus diversæ tensionis, dicemus infra, ubi de distantia inter punctum suspensionis, & imum punctum globi positi in directione verticali: sed frictio ceræ ejusmodi metum imminuet.

§. V.

De suspensione.

26. CONSIDERANDA est duplex suspensio, ea, qua filum affigitur massæ oscillanti, & qua affigitur fulcro sustinenti ipsum pendulum. Agemus de utraque singillatim. Pro casu fili metallici crassioris ipsum immittitur in foramen excavatum in globo, ut jam diximus: pro casu fili tenuis maxime flexilis, ut serici, proponam binas methodos affigendi ipsum globo ita, ut pars globi ima remaneat libera, quod credo necessarium ad habendam accuratam distantiam puncti suspensionis a puncto globi infimo. Potest 1°. exiguus circulus ex tenui materia, ut e tenui velo serico, agglutinari superficiei sphæræ ita, ut ex ejus centro prodeat breve filum, cui possit inseri aliud longum, & intra ipsum excurrere: ipsius autem brevioris bina capita relicta inter velum sericum, & superficiem globi habeant ibi nodum, qui impediat egressum ex eo foramini-

raminulo veli serici, ex quo id filum duplicatum prodit. 2°. Potest ex eodem tenui filo fieri exiguus circulus, qui applicetur superficiei globi prope punctum ipsius infimum, cujus quatuor punctis æque a se invicem distantibus applicentur bina capita singulorum e binis filis, quæ itidem applicata superficiei globi ipsius se decussent in eo ejus puncto, quod debet remanere summum, ubi sub utroque traducatur filum, cujus capita summa debent deinde affigi fulcro superiori.

27. Primam ex iis suspensionibus exhibet figura 5. Ibi A est globus, C centrum circuli BDE agglutinati, ex quo prodit filum F, cui inseritur filum GFH. Circulus agglutinandus potest esse perquam exiguus, agglutinatus autem glutine ita tenaci, ut a pondere globi non possit avelli: potest effici, ut filum in F prodeat parum admodum, quantum satis est, ut ipsi possit ope acus inseri aliud GFH. In hoc schemate ejus nodus exhibetur largior, & curvilineus: ubi globus e fulcro pendebit libere ope fili GFH, filum, cui hoc inseritur, apparebit unicum tendens recta a C ad F.

28. Secundam suspensionem exhibet figura *6*. Circulus BDB'D' habebit pro centro punctum C, quod remanebit infimum: ipsi alligata erunt fila BIFI'B', DEFE'D', se decussantia in F, ubi inseretur inter ipsa, & superficiem globi filum GFH. Globo pendente libere ab hoc filo, filum BDB'D' amittet figuram circularem ob tensionem in iis quatuor punctis, & fila in F recedent a superficie: verum id suspensioni non oberit: punctum F remanebit in summo globo, & punctum infimum remanebit inter puncta B, D, B', D' liberum a filo, quod erit necessarium ad obtinendam mensuram exactam distantiæ ejus puncti infimi a puncto suspensionis, ut mox patebit. Effectus ponderis hujus fili in ordine ad positionem centri oscillationis determinari posset considerata positione respectu globi ipsius, ad quam redigetur ab ejus pondere: sed, ut patebit inferius, is effectus poterit omnino negligi.

29. Suspensio superior indigebit pluribus figuris; constructio machinæ erit admodum simplex, licet prima fronte videatur satis composita. Divisiones, & cochlea indigebunt summa accuratione, cætera præstare poterit quivis artifex non imperitus, nec in-

indiligens. Figura 7 exhibet sectionem verticalem totius machinæ, cujus partes quædam apparebunt melius in binis sequentibus. Ea autem est aptata suspensioni per filum tenue figuræ 5, & 6. In fig. 10 exhibebitur id, quod pertinet ad suspensionem per filum metallicum crassius, & acies figuræ 4. Figura 11 (Tab. VI) exhibet fulcrum oblique visum, figura 12 obliquam positionem machinulæ separatæ imponendæ fulcro ad determinandam magnitudinem oscillationum: figura 13 pendulum oscillans cum divisione machinulæ ipsius directe visæ.

30. In fig. 7 (Tab. V) filum GFG' sustinet globum A, ut in fig. 5, & 6. Id filum comprimitur inter binas laminas sibi invicem superpositas in B, B', quarum altera apprimitur alteri ope cochlearum C, C'. Earum altera habet partem DHH'D' sursum prominentem, quæ inseritur crenæ excavatæ in basi parallelepipedi solidi KDD'K', & adnectitur ipsi ope cochlearum. In ipsa prominent duo exigui cylindri in E, E', quibus affiguntur bina capita fili, quod inde descendit inter binas laminas in G, G'. Parallelepipedum solidum immittitur in tubum LMM'L' quadratum cavum, quod superne sustinet circulum, cujus diameter NN', divisum in ingentem numerum partium, ut in dimidios gradus, & habet in centro cochleam cum manubrio P, & indice O denotante partes cujusvis conversionis. Ea cochlea immittitur in foramen cochleatum parallelepipedi, & sustinet ipsum, & laminas cum filo, & globo. Sustinetur tubus a basi QQ', quam melius exhibebit figura 8: ea innititur cochleis longioribus, ut facile possit collocari in plano horizontali ope libellæ, per virgas longiores QR, Q'R' crassas, & solidas ipsi affixas in R, R', & per breviores (fig. 7) transversas ST, S'T'.

31. Figura 9 exhibet tubum ipsum quadratum LMM'L', in cujus facie NN' habetur apertura parum lata, sed longa fere per totam ejus longitudinem, figura 10 parallelepipedum KHH'K'. Hujus faciei KH' adnectitur ope binarum cochlearum regula ejusdem latitudinis cum apertura NN' figuræ 9, & ejusdem crassitudinis cum parietibus tubi ejusdem figuræ, sed multo brevior. Parallelepipedo immisso in tubum, hæc regula debet prodire ex

eadem apertura ita, ut ejus superficies extima congruat cum superficie extima tubi. Tum in NN' figuræ 9 habetur divisio in plures pollices, & lineas, & in PP' figuræ 10, vel unica lineola transversalis, vel divisio, quæ respondeat nonio exhibens linearum partes, quæ remanebit contigua divisioni figuræ 9.

32. Pro suspensione per acies figuræ 4 paranda sunt ex materia bene dura bina fulcra ejus formæ, quam exhibet figura 11 (Tab. VI). Anguli ABC, DEF, A'B'C', D'E'F' excavandi sunt in binis parallelepipedis solidis, quorum facies externæ AH, D'I' affigi possunt ope cochlearum machinæ habenti formam KNM. Habebit ea machina binas laminas planas in K, & M: ipsis ex parte earum interna applicabuntur facies externæ fulcrorum, priori quidem facies prioris AH, posteriori vero facies posterioris D'I', & hæ illis adnectentur firmiter ope earum cochlearum: ita ea fulcra remanebunt inter eas binas laminas: sulci autem triangulares ABCFED, & A'B'C'F'E'D' remanebunt liberi ad excipiendas acies IK, NO figuræ 4 (Tab. V) sibi impositas, quæ libertas fulcrorum interna relinquet pendulo adnexo machinulæ motum oscillatorium prorsus liberum. Machina autem KLM habebit laminam LN prominentem sursum immittendam in crenam HH' figuræ 7, ac ipsi affigendam per cochleas eodem modo, quo in altera suspensione: laminæ BB' sustinentes filum tenue affiguntur ibidem per laminam HDD'H' itidem prominentem sursum immissam in eandem crenam. Sic ea machina adnexa parallelepipedo solido KDD'K' figuræ 7, poterit cum ipso elevari, ac deprimi ope cochleæ P, & elevare secum & deprimere fulcra, & pendulum.

33. In fig. 7 VV' est speculum metallicum planum, quod exhibebit determinatione evidentissima contactum globi A, cum ejus superficie inducendum a cochlea deprimente parallelepipedum KH. Fulcrum, ut innui, videre est in fig. 8. Ejus basim quadratam efformant quatuor regulæ ferreæ crassiores, quarum binæ QQ' habent singulæ binas cochleas illas longiores. Ex angulis quadrati prodeunt quatuor virgæ QR sustinentes tubum quadratum, quarum una prodiens ex angulo anteriore dextero exhibetur fracta, ut possit post ipsam apparere altera. Binis lateribus quadrati affixa

est

est regula transversa *aa'* sustinens mensulam ferream *qq'*, cui speculum imponitur, & ea ipsa regula, ad amovendum periculum alicujus flexionis, quæ occurrat inter observandum, potest habere binas cochleas prope mensulam, per quas innitatur pavimento postea quam priores quatuor adduxerint basim ad horizontalitatem.

34. In fig. 7 si loco fili serici libeat adhibere filum tenue metallicum; potest id adnecti juxta num. 24 prope puncta G, G' filis sericis brevissimis descendentibus ab E, E' infra superficiem inferiorem laminarum BB' per unam alteramve lineam: filum metallicum erit minus variabile, sericum erit flexile, ut oportet.

35. In eadem fig. 7 X est instrumentum, quod melius exprimitur in fig. 12 (Tab. VI). Ibi ex basi latiore A assurgit baculus teres AB immissus in cylindrum cavum C, qui potest elevari, & deprimi, & adstringi in altitudine quavis ope cochleæ D. Ipsi cylindro affixus est ex parte altera baculus E sustinens regulam II', in cujus facie verticali habetur usque ad lineam infimam horizontalem divisio in plures pollices, & lineas, incipiendo a medio versus partem utranque. Id collocabitur in fig. 7 (Tab. V) inter mensam, & regulam *aa'* figuræ 8 ita, ut pars ima superficiei divisæ sit paullo altior puncto globi summo F, sit perpendicularis plano trianguli GFG', nimirum in directione arcus describendi in motu oscillatorio, & punctum ejus medium respondeat ad perpendiculum puncto ipsi F. Fila GF, G'F oculo posito in eorum plano apparebunt unicum filum, ut exhibet figura 13 (Tab. VI) in GF, GF': id excursu suo hinc, & inde determinabit tangentem arcus descripti ad radium æqualem distantiæ GH, quam habebit punctum G a linea infima superficiei II' terminante divisionem.

36. Facile erit definire eam distantiam, applicatâ regulâ quapiam: & quidem satis est, eam nosse veræ proximam, utut non penitus accuratam; neque enim necessaria erit summa accuratio in mensura arcus descripti. Eam ob causam id instrumentum poterit etiam esse ligneum, & partes lineæ postremæ ejus tangentis addendæ lineis integris poterunt assumi sola æstimatione; quamvis liceret eas habere multo accuratius reddendo partem imam II' figuræ 13 mobilem in latus ope cochleæ, quæ eam promo-

veret, donec extremum oscillationis punctum accurate congrueret cum fine divisionis cujuspiam, & circulus adjectus cum indice, ac etiam nonius, si liberet, partis superioris fixæ collatæ cum inferiore mobili exhiberet etiam partes linearum admodum accurate.

37. Motus cylindri C figuræ 12 est utilis pro collocanda regula II' in ea altitudine, quam requiret elevatio globi supra planum speculi, supra quod elevabitur post contactum, ut libere possit excurrere sine incursu in superficiem ipsius speculi in ima oscillatione, & ipsa magnitudo ejusdem globi. Omnis autem usus machinæ totius figuræ 7 (Tab. V) jam satis patet. Possent fortasse tuto fieri e ligno omnes partes, quæ habentur in fig. 8 præter tubum quadratum. Adhuc tamen multo melius erit ejus virgas, & regulas curare ferreas. Tubus ipse quadratus, & parallelepipedum cum laminis inferioribus debent fieri ex aurichalco, ut magis affabre construi possint: tota moles metallica figuram melius servabit toto tempore observationis.

§. VI.

De mensura distantiæ centri arcus oscillando descripti ab aliquo puncto dato ipsius massæ.

38. DETERMINANDUM est prius ipsum centrum arcus descripti oscillando, ut determinetur quæsita distantia: deinde seligendum punctum massæ, a quo distantia determinari possit commodissime: demum exponenda methodus ejus determinationis.

39. In suspensione per acies figuræ 4 ipsæ acies immittuntur angulis ABC, DEF, A'B'C', D'E'F' figuræ 11 (Tab. VI). Axis conversionis erit recta EB', in cujus medio puncto G habebitur centrum arcus descripti a centro oscillationis. In ea vero suspensione, quam exhibet figura 7 (Tab. V), id centrum est in I in medio inter puncta G, G', si fila ibi sunt bene flexilia, & bene compressa: id appellabimus punctum suspensionis.

40. In priore suspensione remanet tantummodo timor curvaturæ fili metallici inter oscillandum, quæ curvatura num adsit sensibilis, patebit diligenter intuenti filum ipsum inter oscillandum

prope

prope verticem, ubi ea, si adsit, debebit esse maxima. In secunda timent aliqui, ne centrum non sit non nihil infra ipsa puncta G, G', e quibus fila prodeunt. Timerem id, si fila essent tota metallica: sed in filo serico tenui, & bene compresso, potissimum arcu oscillationis existente paucorum graduum, & globo non nimis exiguo, mihi videtur omnino timeri non posse, ne filum resistat ponderi trahenti, ac impediat omnem distantiam a puncto G, quam permittit longitudo ipsius fili. Adhuc tamen indicabo inferius methodum verificandi id ipsum, & corrigendi, si quid in eo vitii occurreret. Posset adhiberi suspensio utraque, quarum determinationes si conspirent, habebitur major certitudo boni successus.

41. Pro puncto massæ in casu globi adhibiti omnium maxime idoneum erit punctum globi infimum. Suspensio figuræ 5, & 6 relinquit liberum id punctum. Basis in fig. 7 ope cochlearum Q, & libellæ facile reducitur ad positionem, in qua superficies speculi VV' sit satis accurate horizontalis. Ope cochleæ P admodum facile adducitur sensim id punctum infimum ad contactum speculi, qui accuratissime determinatur oculo oblique posito: nam evidentissime distinguitur momentum, in quo evanescit distantia inter globum superiorem descendentem, & ejus imaginem inferiorem ascendentem.

42. Pro determinanda distantia puncti suspensionis ab eo puncto infimo globi, habenda est regula, quæ contineat pedes tres, & pollices duos, vel tres: sed in determinanda ea mensura adhiberi debet diligentia summa, ut etiam in eo, quod bases binæ ipsius sint accuratissime planæ, & accuratissime perpendiculares longitudini. Adducto ad horizontalitatem speculo, lamina BB' elevetur ope cochleæ P ad distantiam majorem longitudine ipsius regulæ, cujus verticaliter erectæ applicetur superficies ima ad superficiem speculi remoto nonnihil in latus ope regulæ ipsius globo, quod adhuc pendebit ipsi applicatum in positione obliqua nonnihil, sed quæ non imminuet ad sensum vim, qua globus ipse tendet filum, ubi libere pendebit sibi relictus: tum paullatim ipsa lamina BB' demittatur, donec contingat parte sui inferiore in medio inter GG'

su-

superficiem summam regulæ verticalis : sed inter descendendum notetur numerus , cui respondet index O in circulo tum , cum aliqua e divisionibus laminæ PP' figuræ 10 congruet cum aliqua e divisionibus rectæ NN' figuræ 9 ; & notentur tam partes revolutionis in circulo , quam numerus revolutionum integrarum , si plures adsint , ab ea congruentia usque ad contactum.

43. Si notetur etiam transitus ejusdem divisionis prioris laminæ per plures divisiones rectæ posterioris ; innotescet , quot partes micrometri respondeant uni lineæ , adeoque in quavis alia majore , vel minore elevatione laminæ BB' innotescet distantia rectæ GG' a speculo , addendo longitudini regulæ , vel ab illa auferendo lineas , & earum partes , quæ respondebunt partibus micrometri notatis inter positionem contactus cum ipsa regula , & novam positionem quamcumque .

44. Si adhibeatur suspensio per acies figuræ 4 ; oportebit parare aliam aciem continuam BEB'E' (Tab. VI fig. 14) immittendam in angulos fulcrorum figuræ 11 loco penduli adhibendi pro oscillatione : ipsi debebunt adnecti ope fili duplicis prope E, B' bina pondera , quæ simul æquentur ponderi ipsius penduli , ut tendant machinam eadem vi , qua tendi debet ab eodem iis fulcris imposito , & ope cochleæ P demittenda erunt fulcra cum ea acie , donec ipsa acies contingat superficiem superiorem regulæ verticalis . Ablata hac acie reponendum erit ejus loco pendulum cum aciebus figuræ 4 (Tab. V).

45. His ita paratis deprimendus erit paullatim globus ope cochleæ P , donec contingat speculum : & innotescet longitudo auferenda a longitudine regulæ, ut habeatur accurata distantia puncti suspensionis a puncto infimo ipsius globi . Eâ determinatâ , elevabitur nonnihil globus , ut possit libere oscillare sine contactu speculi in parte infima cujusvis oscillationis . Hoc pacto distantia quæsita , a qua pendet longitudo penduli simplicis , habebitur per immediatam collationem cum regula , quæ poterit esse ferrea : tantummodo notandus status thermometri tempore applicationis regulæ , quæ applicari poterit ope forcipis cujuspiam , vel adhibitis chirothecis , quæ impediant ejus dilatationem majorem a calore ma-

manus. Ea longitudo non pendebit a reliquis machinæ partibus præter valorem partium micrometri in circulo. Dempta autem semidiametro globi habebitur distantia puncti suspensionis a centro globi.

46. Distantia semel inventa conservabitur in tota oscillatione, vel poterit innotescere quantitas mutationis, si qua forte occurrat. Binæ possent esse mutationis causæ: prima est inæqualitas vis tendentis filum in diversis partibus oscillationis, secunda actio humiditatis, & caloris in filum. Inæqualitas provenit a duplici causa: primo quidem ab obliqua positione penduli GFG' figuræ 7 in variis distantiis a medio, tum a vi centrifuga motus circularis inæquali in diversis punctis ob inæqualem velocitatem. Prima causa reddit in quovis puncto oscillationis vim minorem, quam in infimo, & eo minorem, quo major est distantia ab eo puncto: secunda ubique præter maximam elongationem a puncto eodem infimo reddit majorem, quam esset globo quiescente in ea positione, in qua capta est ejus distantia a puncto suspensionis.

47. Utraque ex iis virium differentiis est ita exigua, ut nihil inde videatur timeri posse: adhuc tamen utraque facile computatur, & globo quiescenti addi potest pondus inducens differentiam vis tendentis æqualem inventæ eo calculo, ut ex observatione innotescat, an id additamentum inducat aliquod discrimen longitudinis fili. Adducto enim globo ad contactum cum speculo ante, & post ejusmodi additamentum, apparebit ex positione indicis, an habeatur discrimen sensibile longitudinum inde proveniens, & quantum id sit.

48. Ex resolutione vis gravitatis in duas, quarum altera tendit filum, altera accelerat descensum obliquum per arcum circuli, est gravitas tota ad eam, quæ tendit filum, ut radius ad cosinum arcus distantiæ a puncto infimo, adeoque gravitas tota ad partem amissam erit, ut radius ad sinum versum ejus dimidii gradus. Si oscillatio fiat per quatuor pollices in circulo habente pro radio pedes tres, arcus erit $= 6°.22'$, adeoque distantia a medio $3°.11'$, cujus sinus versus est circiter $= \frac{1}{700}$ radii. Addendo globo pondus, quod sit $\frac{1}{700}$ ponderis totius, si hoc additamentum

non

non auxerit longitudinem ad sensum, defectus æqualis non minuet. In oscillatione pollicum trium sinus versus est pars quarta, adeoque tantummodo $\frac{1}{2800}$ totius.

49. Vis centrifuga inducit in ima oscillatione augmentum duplo majus, quod tamen est adhuc perquam exiguum. Ex compertis Hugenii vis centrifuga æquatur vi gravitatis tum, cum velocitas in circulo est æqualis illi, quæ acquireretur casu libero per quartam partem diametri, nimirum per dimidium radii, mutatis vero velocitatibus in eodem circulo est, ut quadratum velocitatis: ex compertis autem ipsius collatis cum compertis Galilei, velocitas in fundo arcus æquatur ei, quæ acquireretur in casu libero per sinum versum ejusdem arcus, & ex Galileanis quadrata velocitatum sunt, ut altitudines. Hinc erit vis centrifuga in media oscillatione ad vim centrifugam æqualem gravitati, ut est quadratum velocitatis in casu per sinum versum ad quadratum velocitatis in casu per dimidium radium, nimirum ut ipse sinus versus ad dimidium radium. Prius habebatur ratio sinus versi ad totum radium. Hinc ex vi centrifuga in imo habetur additamentum duplum jacturæ in initio oscillationis ex obliquitate, quod est theorema sane elegans. In oscillatione pollicum quatuor hoc additamentum est $= \frac{2}{700}$ totius ponderis globi: in oscillatione pollicum 3 est $= \frac{1}{1400}$. Utraque causa reddit vim tendentem maximam in media oscillatione, & in reliquis punctis eo minorem, quo magis ea puncta distant a puncto infimo: nam pars amissa ob obliquitatem in puncto quovis eo est major, quo id punctum est remotius ab eodem puncto infimo, & additamentum factum a vi centrifuga eo ibidem minus ob minorem velocitatem. Hinc ad videndum effectum maximum utriusque causæ conjunctæ addenda est summa eorum binorum pondusculorum. Videtur tamen omnino fore, ut longitudo fili nihil ad sensum augeatur a pondusculis tam exiguis. Id ipsum docebit melius experientia.

50. Multo autem minus timendum erit ex ejusmodi causis filo

lo metallico etiam tenuissimo, quod productioni magis resistit, quam sericum. Idem etiam nihil timet ab humiditate, a cujus variatione magis timendum esset filo serico, quam ob causam videtur maxime idonea applicatio fili argentei ad filum sericum prope puncta G, G': fila serica præstabunt flexum facilem, filum argenteum excludet effectum humiditatis. Ipsum producitur a calore: sed in primis potest per experimenta inquiri prius in effectum caloris respectu substantiæ fili metallici adhibiti, ut respectu argenti, quod quidem fieri potest etiam respectu fili serici, sed multo difficilius. Deinde, quod caput est, potest experimentum institui in conclavi clauso, & redacto ope ignis tempore hyemali ad temperiem ad sensum constantem: ibidem nullus erit metus humiditatis ad sensum variatæ tempore oscillationum. Satis erit notare gradum caloris pro regula ferrea eo tempore, quo ipsa adhibetur ad determinandam distantiam centri suspensionis ab imo globo, & conclavi occluso, ac temperie ipsius conservata quamproxime, habere illam distantiam pro conservata. In fine oscillationum licebit iterum eadem methodo eam distantiam comparare cum ea ipsa regula ferrea, notato itidem gradu caloris ope thermometri, & apparebit, an revera ea sit eadem, quæ fuerat ante initium.

51. Ex ea distantia facile erit deducere longitudinem penduli simplicis: distantiæ inventæ puncti suspensionis a centro globi addendæ sunt $\frac{2}{5}$ quadrati radii divisi per eandem distantiam, ut habeatur distantia a centro oscillationis ipsius globi: facile autem per methodos cognitas invenietur exigua mutatio, quam inducet filum adnexum, cujus pondus debet determinari, & pro suspensione figuræ 6 fila in F, & infra, pro suspensione figuræ 5 exiguus circulus veli BDE, & glutinis, quorum pondus habebitur appenso ad bilancem prius globo libero, tum globo habente velum sibi affixum. Ea determinabuntur §. XIV.

§. VII.

De determinando numero oscillationum respondentium tempori longiori.

52. POSSENT computari oscillationes numeratione continua, succedentibus sibi observatoribus saltem binis post aliquot horas, & ad evitandum magis periculum erroris, posset, quod jam a nonnullis est præstitum, post singula centenaria projici in urnam nummus. Singulis horis pendulum longitudinis non nimis diversæ ab ea, quæ respondet singulis secundis, habebit oscillationes circiter 3600, adeoque satis sunt nummi 36 in singulas horas: quin immo possunt adhiberi 40, vel 50, quibus immissis omnibus in priorem urnam, potest alius nummus immitti in aliam, adhibitis illis iisdem ad novam seriem æqualem priori.

53. Adhuc tamen hæc continua numeratio est admodum incommoda, si observatio continuanda sit per horas 24, ut infra proponam, ad habendam comparationem immediatam cum conversione diurna integra fixæ cujuslibet. Evitari potest id incommodum methodo adhibita a Mairanio, quæ est commodissima, & si rite adhibeatur, tutissima. Habeatur horologium oscillatorium utut commune, & mediocre, ante quod ad exiguam distantiam collocetur machina X figuræ 7, observatore posito ante ipsam: is autem ad habendam determinationem magis accuratam poterit applicare oculum ad exiguum foramen excavatum in charta crassiore, & affixum fulcro cuipiam, ut ei parti superiori cujuspiam sellæ, cui humeros applicamus in sedendo, collocando ipsum in directione, quam habent pendula horologii, & figuræ 7 dum quiescunt, in qua directione collocari poterit post pendulum horologii charta, vel tabella cum recta linea verticali crassiore.

54. Facile est, elevando, vel demittendo nonnihil puncta G, G' ope filorum EG, E'G' in secunda methodo, & in prima intrudendo magis, vel minus filum metallicum crassius intra foramen T figuræ 4, reducere pendulum figuræ 7 ad eam longitudinem, in qua tempus oscillationum hujus parum admodum differat a tempore oscil-

scillationum penduli horologii. Impresso motu utrique expectandum erit, donec virga illius, & filum hujus simul perveniant ad medium oscillationis denotatum ab illa linea posteriore, ubi cum celerrime transeant, facile erit oculo collocato ad foramen notare oscillationem, in qua transeunt simul, sive in qua id pendulum, quod transibat prius, incipiet transire posterius. Numeratio oscillationum incipiet fieri ab illa oscillatione ejusmodi consensus, notato numero minutorum, ac secundorum horologii, expectandum, donec deveniatur ad consensum novum, quo tempore pendulum figuræ 7 lucrabitur unam oscillationem supra pendulum horologii, vel amittet unam. Novus numerus horologii notatus exhibebit numerum oscillationum ipsius horologii respondentem ei periodo: unâ adjectâ, vel ablatâ habebitur numerus oscillationum figuræ 7. Si utrumque pendulum haberet oscillationes accuratissime æquales; novus concursus fieret post æqualem prorsus numerum oscillationum: verum si habeatur inæqualitas aliqua, ea erit sane exigua, & periodi posteriores usque ad novos concursus habebunt numeros oscillationum parum abludentes ab illo priore. Satis erit identidem accedere ad pendulum, & horologium, & nisi committatur error integræ periodi, nullus error committi poterit in numero oscillationum. Notatis binis, vel ternis prioribus periodis, licebit recedere, & redire post senas, vel denas, ac notare novum concursum: innotescet numerus periodorum usque ad ipsum, si numerus secundorum a præcedente concursu usque ad illum dividatur per numerum secundorum inter ipsum, & alterum anterius ipso, quæ divisio si non sit accurata, parum residui supererit, vel parum desiderabitur ad accuratam divisionem: quotus ille vel accuratus, vel vero proximus, erit numerus periodorum, qui erit numerus oscillationum adjiciendus numero notato ab horologio, vel inde auferendus, ut habeatur numerus oscillationum penduli ad observationem adhibiti. Reditus per intervalla 10, vel etiam 15 periodorum sufficiet, quia dubitari omnino non poterit, an fuerint potius 11, vel 16, aut 9, vel 14 potius, quam 10, vel 15.

55. Inæqualitas aliqua oscillationum penduli habebitur ex diminutione arcuum, & in horologio ex imperfectione aliqua horologii

gii ipsius ; sed eæ nihil obsunt , nec omnino est necessaria in ipso ingens æquabilitas : satis est , si inæqualitas non sit enormis , ut post 10 , vel 15 periodos non possit committi error in numero oscillationum . Periodus absolvetur paullo ante , vel post eum numerum , qui respondet numero primæ periodi multiplicato per numerum periodorum , sed id nihil oberit . Observato fine periodi habebitur limes numeri , post quem certus numerus accedet supra numerum horologii , vel ab eo deficiet , atque id sine ullo errore vel minimo commisso in determinando numero oscillationum .

56. Licebit autem etiam definire veræ proximam partem oscillationis , qua pendulum dissentit ab horologio in quovis momento assumpto intra periodum , in quo aliqua observatio fuerit instituta , & relata ad tempus horologii . Sit numerus oscillationum unius periodi m , & numerus oscillationum a concursu præcedenti usque ad finem ejus oscillationis in horologio n , oportebit numero periodorum integrorum addere fractionem $\frac{n}{m}$, & eum integrum cum hac fractione addere , vel detrahere numero indicato ab horologio ad habendum numerum penduli respondentem fini ejus oscillationis horologii ipsius . Quod si observatio fiat non in fine oscillationis horologii , sed in aliqua ejus parte (nam observationes nonnullæ peraguntur a diligenti Astronomo ita , ut notetur secundum cum $\frac{1}{2}$, vel $\frac{1}{4}$, vel aliquot partibus decimis unius secundi) , habenda erit ratio ejus partis etiam : horum usus patebit §. sequenti . Illa fractio addenda est , quia ob æqualitatem motus intra eandem periodum , ex quo capite nullus haberi potest error sensibilis , si horologium sit saltem mediocre , acquiritur in singulis oscillationibus pars eadem unius oscillationis divisæ in partes æquales sui temporis a pendulo celeriore ; unde patet , acquisitâ unâ post oscillationes m , debere acquiri post oscillationes n partem $\frac{n}{m}$. Patet autem , commisso etiam exiguo errore in numeris m , n ob minus certum initium verum periodi , committi errorem exiguum respectu fractionis addendæ , adeoque contemnendum .

§. VIII.

§. VIII.

De determinando numero secundorum temporis medii, qui respondet eidem tempori.

57. PRO numero secundorum temporis medii comparando cum numero oscillationum penduli simplicis est maxime idoneum horologium oscillatorium ex illis, in quibus correcto effectu caloris non habetur error unius secundi post plures dies: sed ex altera parte ejusmodi horologia sunt rariora, & ex altera non sunt necessaria. Suppleri potest eorum usus per motum solis, & fixarum. Potest haberi appulsus cujuspiam fixæ, aut plurium, ad filum positum in foco objectivi telescopii dioptrici communis in positione circuli horarii; quod si fiat binis diebus, & habeantur bini appulsus ad horologium utut mediocre, ad quod interea referatur pendulum oscillans toto eo tempore, habebitur accuratus numerus oscillationum hujus respondens tempori eidem. Habitis autem iis binis appulsibus ad id filum eruetur inde numerus secundorum temporis medii.

58. Erit opportuna collocatio telescopii in plano proximo plano meridiani, ad evitandum tutius effectum inæqualitatis refractionum, posito filo in plano proxime verticali. Non erit necessaria exactitudo nec in positione telescopii, nec in positione ejus fili; cum fixæ intra unum diem non mutent declinationem, & inæqualitas refractionis potissimum in majoribus elevationibus supra horizontem non possit ita variare punctum fili, ad quod fixa appellit, ut inducat errorem in intervallo integræ conversionis diurnæ, cujus ratio haberi debeat. Necessaria est sola firmitas telescopii, & fulcri. Pro fulcro posset adhiberi unum e candelabris majoribus metallicis cujuspiam ecclesiæ insistens fornici, vel muro in apertura fenestræ, & pro telescopio tubus e tenui lamina ferrea, & plures fixæ habentes exiguum discrimen in declinatione possent adhiberi ad confirmandam determinationem.

59. Si habeatur horologium oscillatorium, de cujus æquabilitate nullum sit dubium; observatio erit facilior. Satis erit impellere

lere pendulum ita, ut initium ejus oscillationis conspiret proxime cum initio oscillationis penduli, ac expectare, donec media ejus oscillatio conspiret cum media oscillatione horologii. Inde incipiet periodus, & numerabuntur oscillationes unius periodi: satis erit per intervalla proxime æqualia redire ad observationem, & notare finem duorum, vel trium periodorum: tum omissis etiam pluribus intermediis, habebitur satis tuto methodo superius exposita numerus periodorum usque ad finem cujuspiam periodi, quo fine notato, habebitur numerus oscillationum penduli ex numero secundorum horologii elapso ab initio primæ periodi ad finem postremæ, additis, vel ablatis tot oscillationibus, quot periodi elapsæ fuerint.

60. Si observentur in eodem horologio momenta binorum appulsuum fixæ ad filum telescopii immobilis intervallo unius diei, vel potius plurium dierum; habebitur admodum accurate numerus secundorum temporis medii respondens dato cuivis numero oscillationum ipsius. Singulis diebus habentur secunda $24 \times 3600 = 86400$, qui erit circiter numerus oscillationum horologii: circiter, neque enim est necessarium reducere horologium ad oscillationes accurate æquales secundis temporis aut medii, aut veri: satis est scire, quæ sit acceleratio, vel retardatio ipsius, quod obtinetur observando appulsum fixæ ad filum telescopii fixi. Hic erit itidem circiter numerus oscillationum penduli habentis oscillationes parum diversas, cujus penduli longitudo erit proxime pedum trium linearum 8, nimirum linearum 440. Si committatur error unius integræ oscillationis uno die, facile determinabitur error inde profluens in longitudinem penduli relati ad id horologium. Cum quadratum numeri oscillationum sit reciproce ut longitudo penduli; erit quadratum ad suam differentiam, ut longitudo ad suam. Est quadratum ad suam differentiam quamproxime ut radix ad duplam differentiam radicis, ubi differentia est exigua, adeoque ut 86400 ad 2, ita longitudo penduli linearum 440 ad suam differentiam, quæ erit $\frac{880}{86400} = \frac{11}{1080} = \frac{1}{98}$.

61. Error unius secundi in horologio comparato cum unica re-

vo-

volutione diurna cælesti inducit errorem $\frac{1}{98}$, sive proxime $\frac{1}{100}$ unius lineæ in longitudinem penduli comparati cum ipso. Hinc ad evitandum errorem $\frac{1}{600}$ partis lineæ requireretur motus in horologio uniformis per 6 dies, & error in binis observationibus, per quas determinatur ejus status, minor secundo integro: si status horologii habeatur ex observationibus factis ad intervallum unius diei, oportebit evitare in ipsis errorem $\frac{1}{4}$ unius secundi ad evitandum ex eo capite errorem $\frac{1}{600}$ lineæ in pendulo.

62. Hic error augebitur ab errore commisso in comparatione penduli cum horologio; sed id augmentum potest reddi penitus negligendum, si instituatur comparatio per integras periodos oscillationum recurrentium ad congruentiam. Potest facile reduci pendulum ad longitudinem, in qua periodus sit longior 300 oscillationibus, quo casu singulis horis haberentur minus, quam 10 periodi. Si in æstimando recursu fiat error unius oscillationis, non habebitur inde nisi error $\frac{1}{300}$ oscillationis, qui si fiat in partes contrarias; adhuc non habebitur nisi error $\frac{1}{150}$ unius oscillationis. Error etiam quadruplo major comparatione instituta per plures horas, inducet errorem penitus contemnendum. Verum error quatuor oscillationum committi non poterit in æstimatione concursus oscillationum oculo applicato ad foramen fixum. Si per aliquot oscillationes videbuntur filum penduli, & virga horologii transire simul per illam rectam mediæ oscillationis; satis erit notare secundum, in quo videbuntur incipere transire simul, & id, in quo desinent, quorum medium exhibebit secundum congruentiæ citra errorem unius, vel alterius oscillationis. Quinimmo in periodo 200, vel 300 oscillationum diligens observator animadverteret oscillationem, in cujus præcedente alterum ex iis binis transibit prius per medium, in sequente posterius ope illius lineæ verticalis positæ post virgam horologii, ad quam oculus appli-

plicatus eidem puncto referet constanter & filum penduli, & virgam ipsam in transitu : videbit enim, utrum prius per ipsam lineam transibit sine ulla sensibili congruentia, vel sine congruentia per binas successivas oscillationes. Hinc evitabitur error etiam $\frac{1}{200}$, vel $\frac{1}{300}$ partis unius oscillationis inde proveniens.

63. Alius error oriri posset ex inæqualitate oscillationum penduli comparati cum horologio, quæ eo celerius fiunt, quo breviores sunt, & ea inæqualitas reddet etiam inæquales numeros oscillationum pertinentes ad singulas periodos. Fiunt breviores per resistentiam, ut diximus in introductione. Si non adhibeantur oscillationes nisi ad sensum æquales; comparatio institui non potest per longum intervallum temporis, & quo brevior est comparatio, eo magis crescit error proveniens ab observatione congruentiæ in initio primæ periodi, & fine ultimæ : sed de remedio erroris orti ex inæqualitate oscillationum penduli agemus in sequentibus. Interea notabo illud, si observatio instituatur per comparationem cum ejusmodi horologio, satis esse exiguum horarum numerum; dummodo horologii motus determinetur per observationes distantes pluribus diebus, intra quos tamen id habuerit motum uniformem; nam observatio periodorum, quam exposui, impediet augmentum erroris sensibile proveniens a comparatione penduli cum horologio, impedito errore partis sensibilis unius oscillationis,

64. Si observatione instituta uno in loco, libeat eam repetere in alio, non erit necessarium restituere horologio eandem positionem in secundo loco, ut ejus motus sit idem in ipso, qui fuerat prius; quod quidem est factu impossibile. Satis est, si in utroque loco motus ipsius sit æquabilis, utut in altero lentior, in altero celerior. Comparando ipsum in utroque cum reditu solis, vel fixæ ad meridianum, vel ad filum telescopii immoti obtinebitur utrobique numerus secundorum temporis medii respondens dato cuivis numero oscillationum ipsius, sine errore majore eo, qui provenit ex errore commisso in determinando appulsu ejus astri in principio, & fine intervalli adhibiti ad comparationem ipsius

cum

cum cælo. Satis est habere in utroque loco horologium æquabile, sive sit idem, vel diversum, & barometrum, ac thermometrum, dummodo transferatur regula ferrea, per quam longitudo penduli determinatur methodo in superioribus exposita.

65. Ex his patet summa utilitas horologii, quod summam æquabilitatem servet per plures dies: verum ejusmodi horologia sunt admodum rara; licet habeant virgas e diversis metallis, quæ effectum caloris compensent, vel adhibeatur summa diligentia in conservando eodem gradu caloris intra conclave, in quo fit observatio. Comparatio immediata cum appulsu fixæ ad filum telescopii immobilis est immunis a metu erroris, quem inducat inæqualitas aliqua in motu horologii, quod erit ad rem idoneum, licet sit commune, & mediocre; sed requirit observationem motus penduli continuatam per longum tempus, nimirum saltem per integram conversionem diurnam.

66. Observatio instituetur hoc pacto. Collocato telescopio immobili, impellatur pendulum paullo ante, quam fixa ingrediatur telescopium, & notetur hora, minutum, secundum horologii, in quo habetur congruentia ipsius cum horologio in media ipsorum oscillatione: applicetur oculus ad telescopium, & notetur momentum, in quo fixa transit per filum ipsius, quod audiendo oscillationes horologii, poterit definiri ad semisecundum, & vero etiam ad quadrantem unius secundi, si telescopium augeat objecta augmento non exiguo: observetur finis ejus periodi, & fines plurium periodorum methodo superius indicata, quantum requiritur ad obtinendum numerum oscillationum penduli per comparationem cum oscillationibus horologii: observatio continuetur usque ad diem sequentem, reddendo motum pendulo, si oscillationes fiant insensibiles methodo, quam exponemus in §. X: sequenti die observetur momentum horologii, in quo eadem fixa transit per idem filum, cum initio, & fine ejus periodi, intra quam cadit is reditus.

67. Ex ejusmodi observatione habebitur numerus secundorum temporis medii respondens conversioni diurnæ fixarum, quæ cum sit horarum 23. 56'. 3",4; is numerus erit 86163,4. Numerus

oscillationum horologii habebitur ex indice ipsius, & pro numero oscillationum penduli addetur, vel auferetur numerus æqualis numero periodorum, sed habenda erit ratio quatuor fractionum: binæ pertinent ad partes unius secundi, quibus transitus fixæ per filum fuit posterior initio secundi notati ab horologio, & binæ ad partes oscillationis, quibus initium oscillationis penduli fuit posterius initio ejusdem secundi. Illæ priores notatæ sunt ab observatore, hæ posteriores deducuntur a numero oscillationum pertinente ad binas periodos, intra quas acciderunt ii transitus, & numeris oscillationum ab initio singularum periodorum usque ad suum transitum. Numerus pro periodo diei præcedentis sit m, sequentis m', numerus oscillationum ab initio periodi usque ad initium ejus secundi indicati ab horologio, intra quod fit transitus priore die, n, posteriore n': erunt autem m, & m' æquales vel accurate, vel proxime. Numerus oscillationum penduli ab initio periodi usque ad initium ejus secundi indicati ab horologio erit $n \pm \frac{n}{m}$ priore die, $n' \pm \frac{m'}{n'}$ posteriore, adhibito signo $+$, si pendulum movetur celerius, quam horologium, & $-$, si lentius.

68. Fractiones notatæ ab observatore ab initio secundi notati ab horologio ad transitum fixæ reducantur ad partes centesimas, & sint a, a', valores $\frac{n}{m}$, $\frac{n'}{m'}$ redacti pariter ad partes centesimas sint b, b': numerus secundorum horologii ab initio primæ periodi diei præcedentis ad initium postremæ diei sequentis sit c: numerus periodorum ab initio primæ diei præcedentis ad initium postremæ diei sequentis e. Incipiendo numerationem ab initio primæ periodi, transitus primus fiet habente horologio secunda $n + a$, transitus secundus habente horologio $c + n' + a'$. Habente horologio n habebit pendulum $n \pm b$, adeoque illo habente $n + a$, hoc habebit $n + a \pm b$: cum enim exiguum sit discrimen inter singulas oscillationes horologii, & penduli; fractio a exprimens partem pertinentis ad horologium, exprimet etiam partem pertinentis ad pendulum. Habente horologio secunda c, habebit pendulum

lum $c \pm e$ ob singulas oscillationes accedentes ad numerum c singulis periodis, vel ab eo deficientes. Numero secundorum horologii $n' + a'$ respondet numerus oscillationum penduli $n' + a' \pm b'$: quare momento secundi transitus habebit pendulum oscillationes $c \pm e + n' + a' \pm b'$. Subtrahendo ab hoc numero numerum pertinentem ad primum transitum, qui erat $n + a \pm b$: habebitur numerus $c \pm e + n' - n + a' - a \pm (b' - b)$.

69. Numerus c habebitur subtrahendo more solito horam horologii, quæ notata fuerit pro initio primæ periodi diei præcedentis, ab hora notata pro initio periodi postremæ diei sequentis aucta horis $24 : n$ habebitur subtrahendo horam illam priorem eandem ab hora notata pro transitu fixæ diei præcedentis, neglectâ fractione $a : n'$ pariter subtrahendo horam notatam pro initio postremæ periodi diei sequentis ab hora notata pro transitu secundo, neglectâ itidem fractione a': fractiones a, a' sunt immediate observatæ, & notatæ cum hora: b, b' sunt valores $\frac{n}{m}$, $\frac{n'}{m'}$, ubi m, & m' habentur subtrahendo horam notatam pro initiis earum binarum periodorum ab hora notata pro fine. Demum numerus e habebitur ex observatione, cum sit numerus periodorum ab initio primæ diei præcedentis ad initium postremæ sequentis.

70. Hoc pacto redactis horis, & minutis ad secunda habebitur totus valor oscillationum penduli $c \pm e + n' - n + a' - a \pm (b' - b)$, qui æquivalebit secundis horariis temporis medii $8616\frac{3}{4}$, ubi habita erit ratio non solum oscillationum integrarum, sed & partium. Ex comparatione penduli cum horologio nullus error timeri poterit, qui non debeat negligi; nam error, si quis exiguus occurrat in determinandis initiis periodorum, reddet quidem erroneos valores c, n, n', sed error in iis singulis commissus evanescet in valore toto $c + n' - n$, cum errores utriusque valoris n', n simul debeant reddere tantundem erroneum valorem c errore contrario, ut facile demonstrari potest, sed satis per se patet consideranti. Errores autem inde commissi in m, m', n, n' reddunt erroneas fractiones b, b' jam per se exiguas errore exiguo respectu ipsarum, qui non potest assurgere nisi ad paucas centesimas

simas unius oscillationis. Quare totus error, qui timeri possit, provenit a fractionibus a', a observatis. Si bini transitus observentur usque ad $\frac{1}{4}$ unius secundi, & errores non se corrigant; error inde proveniet $\frac{1}{200}$ partis lineæ, cum error integri secundi tempore unius diei secum ducat errorem $\frac{1}{98}$, sive proxime $\frac{1}{100}$.

71. Si observatio produceretur per plures dies, posset is error adhuc imminui, sed res esset multo magis incommoda, & aliunde inutilis; quia nimirum in determinanda mensura trium pedum, & trium pollicum regulæ ferreæ, & in divisionibus figuræ 9, & 10, ac partibus micrometri major error timeri debet. Oporteret autem motum restituere pluribus vicibus, qui restituendus erit identidem etiam pro continuando motu usque ad finem revolutionis diurnæ, quod quo pacto fieri debeat, & an inde novi errores timendi sint, patebit §. X: ut etiam numerus oscillationum penduli reducendus est ad eum, qui haberetur, si omnes essent minimæ, de qua reductione agemus in §. XII.

72. Hic tantummodo addemus illud, methodum computandi oscillationes per periodos concursus cum oscillationibus horologii relinquere liberum tempus pro observationibus aliis, ut transitus fixæ per filum telescopii, magnitudinis arcus descripti, status thermometri, & barometri, altitudinum correspondentium, si iis uti libeat: sed pro earum usu in perquisitione adeo delicata necessarium est horologium admodum perfectum, & multo major observatoris diligentia requiritur. Hinc hac methodo unicus observator posset rem perficere: verum præstabit habere adjutorem, potissimum si transitus fixæ fiat prope finem periodi, quæ requirit observationem concursus binarum oscillationum: tum alter observabit hanc, alter transitum. Si adjutor non adsit, oportebit observare transitum fixæ, & notare horam horologii, tum initium periodi deducere ex initio periodi præcedentis, vel sequentis, & duratione, quæ in periodis proximis debet continere eundem numerum oscillationum m.

§. IX.

§. IX.

De determinanda magnitudine arcus descripti.

73. DETERMINATIO ejus magnitudinis fiet facile ope machinulæ figuræ 12 (Tab. VI). Sit in fig. 13 H punctum medium lineæ horizontalis infimæ II', quæ sit divisa in pollices, & lineas. Foramen fixum, quod est adhibitum pro observanda congruentia oscillationum, collocetur e regione penduli quieti in directione ad sensum perpendiculari plano oscillationis, & in altitudine æquali altitudini rectæ II', quæ ita collocetur, ut oculus, filum quiescens, & punctum H jaceant in directum: assumatur mensura distantiæ ejus foraminis a filo, & a puncto H, ac distantia puncti G a puncto fili, quod respondet puncto H, nimirum quod jacet in directum cum oculo, & ipso puncto H. His semel præparatis, notetur distantia HH', ad quam oculo judice pervenit filum in fine oscillationis, notando pollices, & lineas notatas in recta II', ac partem etiam lineæ æstimatam: fiat ut distantia oculi ab H ad ejus distantiam a filo, ita distantia notata HH' per lineam visualem in recta II' ad aliam distantiam, quæ erit excursus HH' fili per dimidiam oscillationem: tum ut distantia GH jam definita per observationem ad hanc HH' ita inventam, ita radius circuli ad quartum terminum: is erit tangens anguli HGH' dimidiæ oscillationis, quæ eo pacto innotescet satis accurate; quanquam in eo non est opus accuratione summa.

§. X.

De restituendo motu.

74. UBI jam oscillationes imminutæ fuerint ita, ut sint vix sensibiles, vel si libet, etiam multo ante, potest restitui motus nova impulsione, quæ inducat oscillationem ampliorem. Is impulsus fieri poterit vel manu libera, vel ope elastri, quod exercebit vim magis regularem sequenti ratione.

75. Basi ligneæ C (fig. 15) affigatur regula CB verticalis: huic alli-

alligetur crus CB elastri angularis BCD, quod habeat latitudinem unius, vel duorum pollicum, quæ hìc oblique visa abit in rectas CB, CD: bina autem capita B, D binorum crurum sint alligata filo brevi BED: teneatur caput D digito appressum capiti B, dum versus finem unius periodi basis C ita promovetur versus locum oscillationis, ut latus CD in maximo excursu parum admodum distet ab ipso globo. In postrema oscillatione periodi, ubi globus pervenerit ad finem oscillationis, remoto repente digito liberetur crus CD elastri, quod urgebit globum tamdiu, quamdiu filum BED permittet, usque ad positionem CD', in qua id a filo BD' jam tenso retinebitur: globus hac nova vi sollicitatum ascendet ex parte opposita altius, quam ascendisset solâ vi suæ gravitatis: antequam redeat, removebitur basis C, & habebitur oscillatio integra jam libera, ac major præcedente.

76. Augmentum oscillationis erit majus, vel minus, prout filum BD' fuerit longius, vel brevius. Experiendo ante observationem regulariter institutam pluribus vicibus cum eodem elastro, & diversis longitudinibus fili, ac applicando id instrumentum ad diversas oscillationum amplitudines, facile invenientur longitudines filorum, quæ conveniant, quæ nimirum reddant oscillationes nec nimis magnas, nec nimis exiguas: neque enim agitur de inducenda nova oscillatione certæ magnitudinis, sed tantummodo nec nimis ingenti, nec nimis parva. Magnitudo postremarum oscillationum ante novum impulsum, & primarum post ipsum obtinebitur ope instrumenti figuræ 12, quod quidem commode fiet in distantia aliquot oscillationum ante, & post impulsum; nam amplitudines oscillationum proximarum, quæ nullo novo impulsu turbantur, sunt ad sensum æquales.

77. Hoc novo impulsu nec accedet nova oscillatio, nec deficiet: earum numerus erit idem: pars aliqua oscillationis accedet, quia prima semioscillatio post impulsum fiet breviori tempore, adeoque numero oscillationum accedet particula illa, quæ respondebit excessui temporis, quod debuisset impendi in prima semioscillatione, quæ habita est post impulsum, supra tempus, quod revera impenditur. Quomodo ejus habenda sit ratio, apparebit in §. sequenti.

§. XI.

§. XI.

De determinanda acceleratione primæ oscillationis post impulsum facta per vim extraneam.

78. Si impulsus novus advenerit in fine periodi, debuisset sine impulsione in media ea oscillatione ad sensum congruere in medio filum penduli cum virga horologii, qui consensus habitus fuisset ad sensum etiam in sequenti oscillatione : observator poterit videre in ea sequenti oscillatione reditum fili ad medium ante virgam, sed non poterit determinare quotæ parti unius oscillationis æquivaleat illa temporum differentia. Poterit eam determinare ope periodi sequenti pacto.

79. Inter præcedentes observationes periodorum habebit aliquam periodum, in qua oscillationes erant ejusdem amplitudinis cum novis : id accidet, si curaverit, ut nova impulsio non inducat oscillationem majorem oscillatione prima, quæ habita est initio suarum observationum. Si oscillationes horologii, & penduli essent omnes æquales ; numeri oscillationum omnium periodorum essent æquales : horologii oscillationes erunt æquales quam proxime, & oscillationes penduli habebunt tempus parum admodum inæquale, quia tempus oscillationis exiguæ parum admodum differt a tempore oscillationis minimæ : hinc numeri oscillationum pertinentium ad diversas periodos parum admodum different inter se, quam ob causam pro numero oscillationum periodi pertinentis ad oscillationes, quæ subsequentur impulsum, posset assumi sine errore notabili numerus pertinens ad quamvis ex præcedentibus periodis : verum habebitur minus periculum erroris, si assumatur numerus oscillationum periodi, in qua oscillationes fuerint magnitudine anguli proxime æquales iis, quæ subsequentur impulsum. Ea periodus deberet incipere in ipsa prima oscillatione post impulsum, & desinere post eum numerum oscillationum. Quare si determinetur numerus oscillationum ab impulsu usque ad primum concursum fili penduli cum virga horologii in media oscillatione ; is nu-

numerus collatus cum numero, quem prima illa periodus debuisset habere, determinabit partem oscillationis, qua ea prior fuerit brevior ex impulsu, quam esset, si sine impulsu habuisset utrumque dimidium æquale, & pervenissent ad medium simul filum, & virga.

80. Duplex casus haberi potest: vel oscillationes penduli fiunt breviore tempore, quam oscillationes horologii, vel longiore. In utroque casu pendulum veniet citius ad medium in prima oscillatione, quam deberet; sed in primo accelerando semper magis, lucrabitur unam oscillationem paullo citius, quam deberet, & concursus fiet post numerum oscillationum minorem illo, qui respondet integræ periodo. Dicatur m'' numerus, qui respondet illi periodo, & excessus ipsius supra numerum observatum a novo impulsu ad primum concursum sit r: pars respondens accelerationi primæ oscillationis post impulsum erit $\frac{r}{m''}$: nam adveniet ad medium primæ tanto prius, quam advenisset sine impulsu, quanto prius advenisset, si initium periodi præcessisset impulsum per numerum oscillationum r, & habuisset lucra respondentia singulis unitatibus contentis in eo numero.

81. Quod si oscillationes penduli habeant tempus longius, tunc vero in prima quidem oscillatione advenietur ad concursum citius, tum ea differentia in singulis sequentibus minuetur, donec evanescat in oscillatione concursus. Quare in eo casu si notetur numerus oscillationum ab impulsu usque ad primum concursum, & is numerus dicatur r; erit itidem $\frac{r}{m''}$ pars oscillationis, quæ respondebit accelerationi illius primæ provenienti a vi impressa, quæ ejus descensum reddidit breviorem ascensu.

82. Quare en methodum corrigendi effectum ejus acceleratio-nis. Sit m'' numerus oscillationum pertinens ad periodum respondentem ei oscillationum amplitudini: notetur numerus oscillationum ab impulsu usque ad primum concursum fili, & virgæ in media oscillatione, & si oscillationes penduli sunt celeriores oscillationibus horologii, excessus numeri m'' supra eum numerum dicatur r;

tur r ; si autem priores sint lentiores , dicatur r is ipse numerus . Fractio $\frac{r}{m}$ dicatur f, & a numero omnium oscillationum penduli auferatur fractio f. Totidem diversi f debebunt auferri , quot impulsus fuerint adhibiti .

83. Quoniam numerus m erit ingens , ut 300 ; $\frac{1}{m}$ erit fractio exigua ; adeoque si decies adhibeatur impulsus , & in quovis valore n observato post impulsum committatur error unius oscillationis , ac omnes errores conspirent , quod sane non accidet ; non committetur error nisi $\frac{1}{30}$ unius oscillationis , qui in observatione durante per diem integrum non inducet errorem longitudinis quæsitæ penduli , nisi $\frac{1}{3000}$ partis lineæ . Patet inde , tuto adhiberi posse restitutionem motus , & quidem si globus non fuerit nimis exiguus , oscillationes admodum sensibiles durabunt per plures horas , ut pauci admodum impulsus novi futuri sint necessarii .

84. Post primum impulsum relinquendum erit sibi pendulum , donec oscillationes sensim imminutæ evadunt sensibiles ita , ut possint satis accurate , vel proxime observari concursus in medio , adeoque initia novarum periodorum : tum adhibendi novi impulsus , notatis identidem magnitudinibus arcuum , qui semper notandi erunt ante , & post singulos impulsus , ac notandi numeri oscillationum plurium periodorum respondentium pluribus arcuum magnitudinibus , & numeri oscillationum post singulos novos impulsus usque ad primum concursum . Ex iis observationibus eruetur numerus oscillationum respondens toti conversioni diurnæ fixarum , cum omnibus fractionibus , quæ addendæ , vel demendæ erunt juxta ea , quæ huc usque sunt exposita : supererit sola correctio ejus numeri respondens reductioni oscillationum habitarum ad oscillationes minimas , de qua agemus in sequenti paragrapho .

§. XII.

De reductione oscillationum observatarum ad minimas.

85. In cycloide, seclusâ aeris resistentiâ, oscillationes omnes sunt æquidiuturnæ; sed in circulo eo celerius fiunt, quo sunt minores: oportet majores illas reducere ad minimas, quibus æquales sunt omnes cycloidales eadem penduli longitudine, utcunque sint magnæ. Primo quidem data amplitudine oscillationis invenienda est ratio temporis ipsius ad tempus oscillationis minimæ: id problema pertinet ad elementa Mechanicæ, in quibus traditur methodus determinandi per approximationem tempus casus per arcum circuli dato radio, & numero graduum. Inde eruitur ratio temporis oscillationis cujuscumque numeri graduum ad tempus oscillationis minimæ, quæ est eadem, ac ratio temporum casus per dimidios arcus earum oscillationum. Habetur ex calculo Bernoullii (*) per approximationem hujusmodi theorema: *quævis oscillatio exigua amittit partem sui octavam ductam in sinum versum arcus dimidii*. Inde facile potest computari tabula, quæ pro diversis oscillationum amplitudinibus exhibeat rationem temporis unius oscillationis ejus amplitudinis ad tempus oscillationis minimæ: si ea ratio sit $1 + q$ ad 1, erit proxime $q = \frac{1}{8} sin.vers.$ dimidii arcus, eruntque valores q, ut ii sinus versi, sive proxime ut quadrata amplitudinum. Pro 6 gradibus est $sin.vers.3^\circ = 0{,}001371$, adeoque $q = 0{,}000171$, & pro tribus quarta ejus pars $= 0{,}000043$.

86. Si omnes oscillationes essent amplitudinis ejusdem; inde admodum facile reduceretur numerus oscillationum observatus ad numerum, qui haberetur eodem tempore, si omnes fuissent minimæ.

(*) Daniel Bernoullius in Opusculo, quod præmium retulit ab Acad. Paris. anno 1747. Sit tempus minimæ oscillationis T; radius 1000000, sinus versus dimidii arcus oscillando descripti b; erit tempus oscillationis $T + \frac{bT}{8000000}$.

mæ. Ii numeri sunt in ratione reciproca temporis singularum, adeoque erit ut 1 ad q, ita numerus observatus ad numerum addendum ipsi. Idcirco hic numerus addendus haberetur multiplicando numetum observatum per q. Sed cum omnes oscillationes sint inæquales; ad accuratam reductionem requireretur determinatio amplitudinis singularum, vel potius omnium dimidiorum arcuum, qui sunt inæquales, hinc, & inde. Id quidem fieri non potest; sed observatâ identidem amplitudine oscillationum, facile habebitur reductio ita veræ proxima, ut nullus error metui possit, cujus ratio habenda sit.

87. Partes (fig. 16) AB, AC, AD, AE rectæ AR exprimant numeros oscillationum observatarum, & assumpta AF perpendiculari ad AR longitudinis cujusvis, ducatur per F recta parallela AR, quæ occurrat rectis parallelis ipsi AF erectis ex B, C, D, E, R in H, I, K, L, G: producanturque AF, BH, CI, DK, EL in M, N, O, P, Q in ratione temporis oscillationis minimæ ad tempus oscillationum amplitudinis, quam habebant oscillationes observatæ in A, B, C, D, E, ac per omnia puncta M, N, O, P, Q, & per alia intermedia pertinentia eodem modo ad oscillationes intermedias concipiatur curva MNOPQ: erit tempus omnium oscillationum observatarum ad tempus totidem oscillationum minimarum, ut area MAEQ ad aream rectanguli FAEL.

88. Si enim lineola B*b* exprimat quamvis oscillationem intermediam, & areola B*Hhb* tempus oscillationis minimæ; areola B*Nnb* exprimet tempus oscillationis observatæ B*b*. Quare rectangulo AFLE exprimente tempus omnium oscillationum minimarum respondentium singulis oscillationibus observatis expressis a tota AE, area AMQE exprimet tempus omnium oscillationum observatarum.

89. Hinc habebitur hujusmodi theorema: si rectangulum LERG æquetur areæ MFLQ; erit AE ad AR, ut numerus oscillationum observatarum ad numerum minimarum, quæ haberentur eodem tempore. Erit enim area AFGR æqualis areæ AMQE, adeoque tempus oscillationum observatarum ad tempus totidem minimarum, ut atea AFGR ad AFLE. Sed etiam numerus mini-

marum, quæ habitæ fuissent priore tempore, ad numerum totidem minimarum, quot sunt oscillationes observatæ, est ut tempus AFGR ad tempus AFLE, nimirum ut AR ad AE. Igitur exprimente AE numerum observatarum, exprimet AR numerum minimarum, quæ eodem tempore fuissent observatæ.

90. Porro facile erit habere aream MFLQ veræ quamproximam, habita identidem amplitudine arcus. Si fiat AF = 1, erunt FM, HN, IO &c. valores illi q pertinentes ad oscillationes A, B, C &c., quarum amplitudines cum sint observatæ, habebuntur ex tabella pro singulis earum oscillationum amplitudinibus: erunt autem FH, HI, IK numeri oscillationum inter amplitudines observatas: quare per notas interpolationum methodos habebitur ea area.

91. Quoniam ipsa est admodum exigua ob ordinatas ita exiguas; poterunt considerari MFHN, NHIO, OIKP &c. ut trapezia rectilinea, quorum singulorum areæ sunt productum e singulis FH, HI, IK &c. ductis in semisummam ordinatarum contiguarum FM + HN, HN + IO &c. Hinc habebitur hujusmodi regula. Numeri oscillationum inter amplitudines notatas dicantur n, n', n'' &c., valores q respondentes singulis amplitudinibus sint q, q', q'' &c. Quivis numerus n ducatur in binos q præcedentem, & sequentem, ac omnium ejusmodi productorum sumatur semisumma: is erit valor quæsitus areæ: si is dicatur x, erit $x = \frac{1}{2}(n(q + q') + n'(q' + q'') + n''(q'' + q''')$ &c.). Hic numerus addendus erit numero observato ad habendum numerum oscillationum minimarum respondentium eidem tempori.

92. Si amplitudines arcuum assumantur post numeros oscillationum æquales, calculus evadet simplicior ob omnes valores n, n', n'' &c. æquales inter se: is huc reducitur. Summæ omnium valorum q intermediorum addatur semisumma primi, & postremi: numerus proveniens multiplicetur per valorem n, & productum addatur numero oscillationum determinato per observationem ad habendum numerum oscillationum minimarum respondentium eidem tempori.

93. En

93. En tabellam valorum q pro diversis oscillationum amplitudinibus :

gradus	valor q
6	0,000171
5	0,000119
4	0,000076
3	0,000043
2	0,000019
1	0,000005

Ex ipsa possunt erui etiam valores q pro oscillationibus intermediis, sed pro ipsis accuratius eruetur valor q ex valore respondente gradibus 6. Semioscillatio sit minutorum m: numerus minutorum semioscillationis graduum 6 est $3 \times 60 = 180$, cujus quadratum 32400: valor q ipsi respondens 0,000171. Quare valor q pro oscillatione proposita erit $\frac{0,000171 m^2}{32400}$. Calculus evadet adhuc facilior per solas elongationes HH' (fig. 13) observatas immediate, quarum quadratis sunt itidem proportionales valores q. Inveniatur elongatio apparens HH', quæ respondeat oscillationi graduum 6. Erit nimirum HH' in situ fili $=$ GH $\times$ *tan.*3°, vel facto radio GH $= r$ erit $= 0,0524r$, & si distantiæ oculi a filo, & a plano II' dicantur p, p', erit HH' apparens in divisione $= \frac{0,0524rp'}{p}$. Hic valor fiat $= h$, & quævis alia distantia HH' observata sit $= h'$. Erit pro ipsa $q = \frac{0,000171 h'^2}{h^2}$.

§. XIII.

Demonstrationes nonnullæ huc reservatæ.

94. NUMERO 13 affirmavimus, errorem commissum in positione centri oscillationis fore paullo minorem dimidio errore commisso in mensura diametri globi, id autem erui ex theoremate Hugeniano, quod centrum oscillationis globi est inferius centro figuræ per $\frac{2}{5}$ tertiæ proportionalis post distantiam puncti suspensionis a centro globi, & radium ipsius. Id sic facile demonstratur.

95. Di-

95. Distantia puncti suspensionis ab imo globo sit a, semidiameter globi x: erit distantia puncti suspensionis a centro globi $a - x$, distantia puncti ipsius a centro oscillationis $a - x + \frac{2}{5} \times \frac{x^2}{a-x}$. Si sit dx error radii x dimidius erroris diametri $2x$; erit error ejus formulæ $- dx + \frac{4 \times x dx}{5(a-x)} + \frac{2x^2 dx}{5(a-x)^2}$: facto $y = \frac{x}{a-x}$, habebitur $dx(-1 + \frac{4}{5}y + \frac{2}{5}y^2)$. Is valor est minor valore dx negativo ob binos terminos positivos $\frac{4}{5}y + \frac{2}{5}y^2$; sed paullo minor, ob longitudinem $a - x$ circiter trium pedum, dum radius x est minor uno pollice, vel non multo major. Quare error in positione centri oscillationis erit paullo minor dimidio errore diametri, ut ibi affirmavimus. Id autem ostendit necessitatem determinandi eam diametrum cum magna diligentia.

96. Numero 15 affirmavimus defectum parallelismi rectarum ae, bf (fig. 1 Tab. V) facile corrigi distributâ æqualiter per totam longitudinem ab differentiâ rectarum ae, bf. Sit $ab = a$, aS semidiameter globi vel accurate, vel quam proxime $= b$, tum $bf - ae = c$. Ad habendam diametrum ST addenda erit distantiæ ae correctio $\frac{bc}{a}$, quæ erit positiva, vel negativa, prout recta bf fuerit major, vel minor, quam ae, nimirum prout valor c fuerit positivus, vel negativus.

97. Id patet in fig. 17, & 18 (Tab. VI). Sit in priore bf major quam ae, in posteriore minor: concipiatur recta ex e parallela ab, quæ occurrat rectis bf, ST in I, H. Cadet H in fig. 17 citra T respectu S, in fig. 18 ultrà: erit autem utrobique $ae = bI = SH$, tum $fI = bf - ae$ in fig. 17, & $- bf + ae$ in fig. 18. Eo valore facto $= c$, erit $eI = ab = a : eH = aS = b :: fI = c : TH = \frac{bc}{a}$, qui valor positivus in fig. 17, negativus in fig. 18 erit addendus valori $SH = ae$ ad habendum valorem ST.

98. Numero 48 diximus, esse gravitatem absolutam ad vim, quæ

quæ tendit filum penduli in sua positione obliqua, ut est radius ad cosinum arcus distantiæ a puncto infimo. Id est satis notum. Patebit autem in fig. 19 (Tab. VII). Sint ibi puncta A, G, A' eadem ac in fig. 12 (Tab. VI), & recta A'P parallela GA exprimat gravitatem totam: sit autem PB perpendicularis filo GA' producto, & compleatur rectangulum A'BPD, ac sit A'E perpendicularis rectæ GA. Vis A'D solicitabit descensum obliquum, A'B tendet filum. Quare erit gravitas tota ad vim, quæ tendit filum, ut A'P ad A'B, sive ut GA' ad GE, quæ est ratio radii ad cosinum arcus A'A. Ipsa autem gravitas ad vim amissam erit ut GA' ad AE, sive ut radius ad sinum versum ejus arcus, quod ibidem affirmavimus.

99. Numero 60 ad computandum effectum unius oscillationis spatio 24 horarum in mutanda longitudine penduli simplicis suppositum est hujusmodi theorema: *quadratum ad suam differentiam est quamproxime ut dupla radix ad suam*. Id theorema adhibetur passim in calculo differentiali, in quo ea ratio habetur pro accurata. Aucto valore radicis x per differentiam dx, assumitur pro differentia quadrati $2xdx$, & est x^2 ad $2xdx$ ut x ad $2dx$. Negligitur ibi etiam dx^2 quantitas infinitesima secundi ordinis, cum quadratum $x + dx$ sit $x^2 + 2xdx + dx^2$. Differentia $2xdx$ non habetur accurata, nisi ubi transitur ab $x - \frac{1}{2}dx$ ad $x + \frac{1}{2}dx$, cum quadratum prioris sit $x^2 - xdx + \frac{1}{4}dx^2$, posterioris $x^2 + xdx + \frac{1}{4}dx^2$, quorum differentia est $2xdx$. Ubi transitur ab x ad $x + dx$, & dx est quantitas exigua quidem respectu x, sed non infinitesima, tum ratio x ad $2dx$ radicis ad duplam ejus differentiam non est accurate, sed proxime ratio quadrati ad suam differentiam. Ibi agebatur de numero oscillationum ingenti 86400, in quo committatur error unius oscillationis: idcirco adjectum est, rationem quadrati ad suam differentiam esse *quamproxime* eam, quam habet radix ad duplum suæ, nimirum 86400 ad 2, vel 43200 ad 1. Sed id erat abunde ibi, ubi nimirum quærebatur æstimatio quædam erroris longitudinis penduli, qui oritur ex errore admisso in numero oscillationum.

§. XIV.

§. XIV.

De determinatione centri oscillationis communis totius materiæ oscillantis.

100. NUMERO 51 diximus per methodos cognitas facile inveniri mutationem exiguam, quam inducunt in positionem centri gravitatis filum, circulus agglutinatus in C in suspensione figuræ 5 (Tab. V), & tota machinula MO in suspensione figuræ 4. Proponam hìc primo loco formulas exhibentes effectus singularum earum partium admodum simplices, ad quas reducitur formula generalis magis composita, ubi negligantur quantitates, quæ sensum omnem effugiunt: tum apponam formulæ ipsius generalis deductionem ex theorematis simplicibus, & notis in theoria centri oscillationis, ac derivationem singularum simplicium ex ipsa magis composita. Sed oportet nosse singularum partium pondus, antequam possint eæ formulæ deduci ad usum.

101. Facile obtinetur pondus globi appositi ad bilancem. Si ipsi agglutinetur circulus fig. 5 cum exiguo filo F, & iterum assumatur ejus pondus; habebitur pondus partis ibi adjectæ. Fili pondus habebitur ipsum itidem appendendo: sed si agatur de filo tenui; potest appendi ejus massa major, & reduci id pondus faciendo, ut tota longitudo ad longitudinem adhibitam, ita pondus inventum ad pondus ejusdem, & si agatur de filo metallico longiore immittendo in globum ex parte altera, & ex altera in machinulam figuræ 4, oportet detrahere toti ponderi fili partem, quæ inseritur utrinque: quanquam id, quod inseritur in ipsam machinulam prope axem rotationis, potest negligi. Pro machinula MO oportet invenire separatim pondus prismatis rectangularis AG, & binorum prismatum triangularium, quæ desinunt in acies IK, NO. Id facile fiet, cum bases triangulares MIL, HNG sint dimidiæ basis rectangularis AEFB, unde fit, ut ambo prismata triangularia simul sint æqualia soli rectangulari habenti eandem basim AEFB, & altitudinem LF, adeoque eorum summa sit ad rectangulare AG, ut est LF ad FG. Hinc, habito pondere totali,

tali, fiat ut LG ad FG, ita ipsum ad pondus partis rectangularis, quo dempto a toto pondere, habebitur pondus binarum triangularium. Filum, quod in fig. 6 advolvitur globo, potest omnino contemni, ut patebit inferius.

102. Dividendo pondus harum quatuor partium minorum per pondus globi, sit quotus pro circulo agglutinato m, pro filo m', pro parte rectangulari machinulæ m'', pro parte triangulari m''', qui valores exprimunt rationem ponderis singularum partium ad pondus globi. Sit autem r radius globi, a distantia AI (fig. 7) centri A ipsius ab axe conversionis, b distantia fI infimi ejus puncti f, quod tetigit speculum, ab eodem axe, c in fig. 4 altitudo FB communis utrique basi. Priores binæ partes elevabunt centrum oscillationis, posteriores depriment per valores sequentium formularum, qui idcirco pro illis habebunt signum negativum, pro his positivum. Ponemus autem primo loco depressionem ortam ex forma globi, tum eos quatuor valores. Omnium summa addenda erit valori a ad habendam distantiam centri oscillationis communis a puncto suspensionis, nimirum longitudinem penduli simplicis isochroni pendulo adhibito, demptis iis, quæ non adhibeantur, ut in suspensione figuræ 5 non adhibentur postremæ 2, in suspensione figurarum 4, & 6 non adhibetur prima.

DENOMINATIONES.

Distantia puncti suspensionis { a centro globi . . . . . a ; a puncto ejus infimo . . . . b
Radius globi . . . . . r
Altitudo FB (fig. 4) c
Ratio ponderis partium ad pondus globi
I. circuli agglutinati . . . . . m
II. fili . . . . . m'
III. prismatis rectangularis AG . . . . . m''
IV. binarum acierum triangularium . . . . . m'''
Effectus in positionem centri oscillantis respectu centri globi erit ex

Mole globi . . . . . $+ \frac{2r_5^3}{5^a}$

Parte I. . . . . $- mr$

II. . . . . $- \frac{1}{6} m' b$

III. . . . . $+ \frac{1}{2} m'' c$

IV. . . . . $+ \frac{2}{3} m''' c$

103 Si habeatur cavitas aliqua exigua alicubi in globo, cujus elevatio supra planum horizontale transiens per centrum globi quiescentis, vel depressio infra sit $\pm f$, ratio ponderis massæ deficientis ad pondus globi g; erit effectus $\pm fg$: si ea cavitas æquivaleat globulo habenti diametrum $\frac{1}{10}$ diametri globi; erit $g = 0{,}001$: si ea sit in summo globo, ac diameter globi sit pollicum duorum; erit $f = r = 12$ *lin.*, adeoque $fg = 0{,}012$ major parte centesima lineæ, cujus ratio habenda esset. Si pondus circuli agglutinati globo in fig. 5 sit multis partibus minus pondere ejusmodi globuli; ejus effectus erit ad sensum nullus: sed an ejusmodi sit, innotescet ex pondere ipsius cum suo glutine.

104. Patet autem ex hac formula, ad evitandos effectus exiguarum cavitatum, quæ sint intra massam globi, satis esse ipsum adhibere cum binis suspensionibus oppositis tantummodo, quia effectus omnium ejusmodi inperfectionum materiæ erunt oppositi, & ad sensum æquales, adeoque satis erit assumere medium arithmeticum inter numeros oscillationum provenientes ex iis binis suspensionibus. Patet præterea, exiguas imperfectiones figuræ globi compensari itidem per ejusmodi inversionem suspensionis. Satis erit assumere diametrum mediam inter multas, quæ obtinentur ope instrumenti figuræ 1. In globo Grahami habente quatuor foramina nullum effectum edent illa duo, quæ remanent horizontalia: reliquorum binorum in summo, & imo globo effectus se mutuo corrigunt: accedit tantummodo pars fili metallici crassioris, quæ immittitur in id, quod est superius. Sed habebitur ejus ratio, si pro eruendo valore m' partis II numeri 102 assumatur pondus totius longitudinis ejus fili, quæ habetur a puncto suspensionis non solum usque ad globum, sed usque ad finem ejus particulæ, quæ immittitur in id foramen ipsius globi. Ad habendum hoc pondus de-

debet a pondere totius ejus fili demi ea pars, quæ immittitur in cavitatem T. figuræ 4, quod facile præstabitur, factis, ut tota longitudo totius ejus fili ad longitudinem partis immissæ in id foramen, ita totum pondus ad partem ipsius auferendam. Reliquum divisum per pondus globi exhibebit valorem m' illius partis II. Si pars fili immissa in cavitatem figuræ 4 ipsam non penitus impleat; id vacuum, quod remanet, nullum edet effectum sensibilem ob tantam viciniam axis.

105. Videndum jam, quomodo eæ formulæ deriventur e theoria centri oscillationis (*). In primis fundamentum omnium formularum est theorema generale hujusmodi I. *Si omnes æquales particulæ totius materiæ ducantur in quadrata suarum distantiarum ab axe conversionis, ac summa omnium ejusmodi productorum dividatur per productum e summa omnium particularum, & e distantia centri gravitatis communis ab eodem axe; quotus erit distantia centri oscillationis communis ab eodem axe.* Deinde pro eo divisore habetur hoc theorema II. *Si centra gravitatis plurium massarum jaceant in eodem plano cum recta aliqua; distantia centri gravitatis communis ab eadem recta æquabitur summæ productorum e singulis massis in suas distantias perpendiculares ab eadem recta divisæ per summam omnium massarum: sed assumptis pro positivis distantiis centrorum jacentium ex parte altera ejus rectæ, habendæ sunt pro negativis distantiæ jacentium ex parte opposita.*

106. Ex theoremate I eruitur viceversa hoc aliud, quod erit III. *Si distantia centri oscillationis cujuspiam massæ ab axe conversionis multiplicetur per productum ex massa ipsa ducta in distantiam sui centri gravitatis ab axe eodem; productum erit summa productorum ex omnibus particulis æqualibus ductis in quadrata suarum distantiarum ab eodem.*

(*) Apponam §. XVIII num. 174 additamentum de centro oscillationis, in quo demonstrabo mea quadam methodo hoc ipsum theorema, & ex eo deducam centra ossillationum figurarum, quas hìc adhibebimus: ea ut pertinentia ad elementa, & vulgo cognita hìc omittam.

107. Ex eodem theoremate generali I profluunt positiones centri oscillationis figurarum diversarum, quæ supponantur constare singulæ e massa homogenea. Hìc occurrunt quinque figuræ 1°. sphæra, 2°. circulus figuræ 5 ipsi agglutinatus, 3°. filum, quod potest considerari ut recta linea, ob ejus tenuitatem, vel exiguam crassitudinem, 4°. prisma quadrilineum figuræ 4, 5°. bina prismata triangularia ejusdem.

108. In sphæra centrum oscillationis est infra centrum gravitatis per $\frac{2}{5}$ quadrati radii divisi per distantiam centri figuræ ab axe conversionis: centrum autem gravitatis est in ipso centro figuræ.

109. Circulus agglutinatus potest considerari ut circulus planus tangens sphæram, sive perpendicularis ad rectam suspensionis, neglecta exigua crassitudine, & exigua curvatura. Ejusmodi circuli centrum oscillationis est infra ipsum ejus centrum per quadratum ejus radii divisum per quadruplam distantiam ipsius centri figuræ ab axe conversionis: centrum gravitatis est itidem in centro figuræ.

110. In recta linea IF (fig. 7), & in binis GF, G'F distantia centri oscillationis ab axe conversionis est $\frac{2}{3}$IF, distantia centri gravitatis ab eodem $\frac{1}{2}$IF.

111. In rectangulo AF figuræ 4, & in toto prismate AG, si oscillatio fiat circa axem IO, distantia centri oscillationis ab ipso est $= \frac{2}{3}FB + \frac{2}{3} \times \frac{KB^2}{FB}$; distantia autem centri gravitatis $\frac{1}{2}$FB.

112. In triangulo MIL, & binis prismatis triangularibus existente basi ML = EF = AB, & altitudine = FB, distantia centri oscillationis ab axe IO est $= \frac{1}{4}FB + \frac{1}{4} \times \frac{KB^2}{FB}$, & distantia centri gravitatis $\frac{2}{3}$FB.

113. Hinc per theor. III (num. 106) invenientur summæ productorum ex omnibus particulis æqualibus materiæ ductis in sua quadrata distantiarum ab axe, ducendo pro singulis distantiam centri oscillationis in productum ex massa, & distantia centri gravitatis. Summam particularum materiæ æqualium in singulis massis exhibebunt earum pondera. Sit pondus globi p, pondus quatuor partium nume-

meri 102 ; n , n' , n'', n''': fiant autem pro iis partibus denominationes sequentes.

114. Radius sphæræ $= r$, distantia IA (fig. 7) $= a$: erit distantia centri oscillationis $a + \frac{2r^2}{5a}$, massa p ducta in distantiam centri gravitatis pa : adeoque summa productorum $pa^2 + \frac{2}{5}pr^2$.

115. Pro circulo agglutinato sit ejus radius $= e$, erit distantia centri oscillationis $= (a - r) + \frac{e^2}{4(a-r)}$, massa ducta in distantiam centri gravitatis $= n(a - r)$, adeoque summa productorum $= n(a - r)^2 + \frac{1}{4}ne^2$.

116. Pro filo IF, vel binis filis GF, G'F erit IF $= a - r$, distantia centri oscillationis erit $\frac{2}{3}(a - r)$, massa n' ducta in distantiam centri gravitatis $\frac{1}{2}n'(a - r)$: adeoque summa productorum $\frac{1}{3}n'(a - r)^2$.

117. Pro prismate rectangulari AG (fig. 4) sit FB $= c$, KB $= d$: erit distantia centri oscillationis $= \frac{2}{3}c + \frac{2d^2}{3c}$, massa ducta in distantiam centri gravitatis $\frac{1}{2}n''c$: adeoque summa productorum $\frac{1}{3}n''c^2 + \frac{1}{3}n''d^2$.

118. Pro binis prismatis triangularibus distantia centri oscillationis erit $= \frac{1}{4}c + \frac{d^2}{4c}$, massa ducta in distantiam centri gravitatis $\frac{2}{3}n'''c$: adeoque summa productorum $\frac{1}{2}n'''c^2 + \frac{1}{6}n'''d^2$.

119. Colligendo summam omnium summarum habebitur summa omnium productorum ex omnibus particulis ductis in sua quadrata distantiarum ab axe conversionis in numeratore fractionis sequentis, & productum ex tota massa ducta in distantiam centri gravitatis communis ab eodem axe in denominatore : ipsa autem fractio exhibebit valorem distantiæ centri oscillationis quæsiti accuratam

$$\frac{pa^2 + \frac{2}{5}pr^2 + n(a-r)^2 + \frac{1}{4}ne^2 + \frac{1}{3}n'(a-r)^2 + \frac{1}{3}n''c^2 + \frac{1}{3}n''d^2 + \frac{1}{2}n'''c^2 + \frac{1}{6}n'''d^2}{pa + n(a-r) + \frac{1}{2}n'(a-r) + \frac{1}{2}n''c + \frac{2}{3}n'''c}.$$

120. Hæc formula reducetur ad multo simpliciorem, si consideretur, omnes terminos, qui pertinent ad illas quatuor partes, esse mul-

multo minores terminis, qui pertinent ad globum. Fiant hi postremi $pa^2 + \frac{2}{5}pr^2 = X$, $pa = Z$, omnes reliqui in numeratore $= x$, in denominatore $= z$: habebitur $\frac{X+x}{Z+z}$, qui valor erit quamproxime $= \frac{X}{Z} + \frac{x}{Z} - \frac{Xz}{Z^2}$, omissis nimirum terminis ordinum inferiorum.

121. Primus terminus est $\frac{pa^2 + \frac{2}{5}pr^2}{pa} = a + \frac{2r^2}{5a}$ distantia centri oscillationis globi : reliqui continent effectum illarum quatuor partium : in $\frac{x}{Z}$, dividendi sunt termini numeratoris per pa, & in $\frac{Xz}{Z^2}$ multiplicandi essent singuli termini denominatoris per $pa^2 + \frac{2}{5}pr^2$, sed ob exiguitatem secundi termini respectu primi, & singulorum terminorum, qui multiplicandi sunt, satis erit illos multiplicare per pa^2 : dividendi autem sunt per $Z^2 = p^2a^2$; adeoque satis erit ipsos dividere tantummodo per p. In numeratore habentur bini pro circulo, unus pro filo, bini pro prismate rectangulari, bini pro binis prismatis triangularibus : in denominatore singuli pro singulis. Oportet evolvere seorsum effectus singularum partium.

122. Pro circulo habebitur $\frac{n(a-r)^2}{pa} + \frac{nc^2}{4pa} - \frac{n(a-r)}{p}$. Est autem $\frac{n}{p}$ ratio ponderum (num. 102) $= m$, & pro $\frac{(a-r)^2}{a}$ potest poni $a - 2r$, omisso $\frac{r^2}{a}$, adeoque obtinetur ex primo, & tertio termino conjunctis $a - 2r - a + r = r$. Hinc totus valor erit $-mr + \frac{mc^2}{4a}$. Sed neglecto secundo termino obtinetur pro effectu circuli tantummodo $-mr$, ut habetur eodem num. 102 pro parte I.

123. Pro filo habebitur $\frac{n'(a-r)^2}{3pa} - \frac{n'(a-r)}{2p}$. Est $\frac{n'}{p} = m'$,

&

& $\frac{(a-r)^2}{3a} - \frac{a-r}{2} = \frac{a-2r}{3} - \frac{a-r}{2} = -\frac{1}{6}a - \frac{1}{6}r =$ $-\frac{1}{6}(a+r)$: posito $a+r = If = b$, habebitur $-\frac{1}{6}m'b$, ut num. 102 pro parte II.

124. Pro prismate rectangulari habebitur $\frac{n''c^2}{3pa} + \frac{n''d^2}{3pa} + \frac{n''c}{2p}$. Est $\frac{n''}{p} = m''$, & priores duo termini sunt ordinis secundi ob m'', & $\frac{c^2}{3a}, \frac{d^2}{3a}$ quantitates exiguas. Quare remanebit tantummodo $+\frac{1}{2}m''c$, ut num. 102 pro parte III.

125. Pro binis prismatis triangularibus habebitur $\frac{n'''c^2}{2pa} + \frac{n'''d^2}{6pa} + \frac{2n'''c}{3p}$. Est $\frac{n'''}{p} = m'''$, & priores duo termini sunt itidem ordinis secundi. Hinc remanebit tantummodo $\frac{2}{3}m'''c$, ut num. 102 pro parte IV.

126. Pro suspensione figuræ 5, postremi duo termini non aderunt, & distantia centri oscillationis erit... $a + \frac{2r^2}{5a} - mr - \frac{1}{6}m'b$.

127. Pro suspensione figuræ 6 deerit etiam circulus agglutinatus, & distantia centri oscillationis erit .... $a + \frac{2r^2}{5a} - \frac{1}{6}m'b$.

128. Pro suspensione figuræ 4 deerit solus circulus, & distantia centri oscillationis erit... $a + \frac{2r^2}{5a} - mr + \frac{1}{2}m''c + \frac{2}{3}m'''c$.

129. Hæc pertinent ad demonstrationem eorum, quæ proposita sunt num. 102. Id, quod adjectum est num. 103, facile deducitur ex formula numeri 122, in qua habentur tres termini pro circulo. Si totum ejus pondus reduceretur conjunctum in solo centro; secundus terminus evanesceret, & remanerent soli duo extremi, qui reducerentur ad unicum $-mr$. Si pro elevatione supra centrum globi $= r$ ponatur quævis alia elevatio f, & pro ratione ponderum m ratio g; habebitur $-fg$: sed si pro materia adjecta habeatur defectus materiæ; habebitur effectus contrarius, nimirum $+fg$: idem autem pro depressione f erit $= -fg$, ut ibidem est positum.

§. XV.

§. XV.

De determinatione longitudinis penduli simplicis oscillantis ad singula secunda temporis medii.

130. DETERMINATA distantiâ puncti suspensionis a centro oscillationis, & numero oscillationum minimarum ejus penduli cum numero secundorum temporis medii, quæ ipsis respondent, debet inde erui longitudo penduli simplicis oscillantis ad singula secunda. Id facile fit per theorema elementare, & notissimum, quo etiam in superioribus usi sumus, quod nimirum sint longitudines pendulorum reciproce, ut quadrata numeri oscillationum. Erit enim ut quadratum numeri secundorum temporis ad quadratum numeri oscillationum observatarum reducti ad numerum minimarum, ita distantia puncti suspensionis a centro oscillationis, quæ est longitudo penduli simplicis æquivalentis adhibito, ad longitudinem quæsitam penduli simplicis oscillantis ad singula secunda.

131. Hæc reductio exhibet methodum determinandi id, quod innuimus numero 40; nimirum an punctum suspensionis I in fig. 7 sit in ipsa recta GG', in qua fila prodeunt e binis laminis, an paullo inferius; & si sit paullo inferius, corrigendi errorem, qui inde oriri potest. Ad id obtinendum debent adhiberi plures longitudines penduli non parum discrepantes a se invicem. Id facile fiet reddendo brevius filum GFG': poterit haberi differentia longitudinum æqualis toti cochleæ P figuræ 7, & regulæ PP' figuræ 10. Sed oportebit accelerare fere tantundem oscillationes horologii, quod itidem facile fiet reddendo brevius ejus pendulum, vel si id non liceat, alligando parti virgæ superiori aliud pondus, quod elevabit centrum oscillationis, adeoque accelerabit motum ejus penduli. Nisi id fiat; non poterunt haberi periodi concursuum satis longæ ad evitandum laborem numerandi, & ad determinandas fractiones oscillationum.

132. Si quis velit adhibere pendulum multo longius, ut unius hexapedæ; debebit parare virgas addendas virgis QR figurarum 7, & 8,

& 8, ac regulam longitudinis paullo majoris, quam sit summa longitudinis penduli quæsitæ, & semidiametri globi, cujus regulæ mensura deberet haberi itidem accuratissima. Sed ad habendum numerum oscillationum, & earum fractiones per periodos methodo, quam exposuimus, oporteret mutare itidem pendulum horologii substituto alio ita longo, ut ejus oscillationes fierent tempore proxime æquali, vel alio quadruplo breviore, ut tempus oscillationum ipsius evaderet subduplum. In hoc secundo casu haberentur periodi per concursum virgæ penduli horologii cum filo penduli adhibiti longiore redeuntem in medio arcu post binas oscillationes horologii, & singulas ejus penduli. In iis omnibus occurrit difficultas observationis multo major cum fructu nimis exiguo.

133. Si adhibeantur plures longitudines penduli, debet ex omnibus longitudinibus adhibitis prodire eadem longitudo penduli simplicis quæsiti: & quidem prodibit eadem, si quadrata numeri oscillationum fuerint reciproce proportionalia longitudinibus. Si non habeatur ea proportio accurata, & error sit major, quam qui tribui possit erroribus commissis in observando, ac tribuatur ei depressioni centri arcuum oscillando descriptorum infra rectam GG'; quantitas depressionis ipsius sic invenietur. Sit ea $= x$, longitudines penduli non correctæ a, a', numeri oscillationum n, n': erunt longitudines correctæ $a - x : a' - x :: n'' : n^2$; adeoque $an^2 - n^2x = a'n'' - n''x$: & proinde $n^2x - n''x = an^2 - a'n''$, nimirum $x = \frac{an^2 - a'n''}{n^2 - n''}$.

134. Valor x erit correctio adhibenda utrique longitudini, qua adhibita, fiet ut quadratum numeri utriuslibet secundorum temporis medii ad quadratum numeri oscillationum ipsi respondentium, ita longitudo correcta ipsis respondens ad longitudinem quæsitam penduli oscillantis ad singula secunda. Hæc longitudo obveniet eadem utralibet longitudo correcta adhibeatur cum suis numeris secundorum, & oscillationum.

135. Si differentia longitudinum penduli oscillantis ad singula secunda proveniens a binis longitudinibus adhibitis in observatione, & non correctis fuerit ita exigua, ut tribui possit difficulta-

ti observandi; tum satis erit assumere medium arithmeticum inter binas determinationes. Si longitudines adhibitæ fuerint plures, quam duæ; tum valor x poterit determinari per singula binaria: si is obveniat semper idem; id poterit esse indicio, inæqualitatem longitudinum derivatarum ex adhibitis, & non correctis provenire ex eo, quod centrum arcuum oscillando descriptorum sit paullo inferius punctis GG', & habebitur major certitudo correctionis. Diximus, id fore indicium; quanquam fieri posset, ut correctio a diversis binariis exhibita non proveniat eadem ex eo, quod distantia centri arcuum oscillando descriptorum a recta GG' non sit eadem pro omnibus longitudinibus pendulorum, sit autem plerumque diversa, sed aliquando eadem: verum id videtur minus verosimile. Quinimmo si adhibeatur prope G filum satis flexile, videtur sane fieri non posse, ut id non obtemperet penitus ponderi trahenti, nec remaneat penitus rectilineum ab ipso primo egressu e laminis usque ad globum, potissimum cum arcus oscillando descripti sint exigui. Hinc optimum factu erit, si nulla correctione adhibita longitudinibus assumptis pro observatione, assumatur medium arithmeticum inter longitudines deductas parum a se invicem differentes.

§. XVI.

De effectu aeris, & ejus correctione.

136. DIXIMUS num. 6, duplicem esse effectum aeris, qui reddit longitudinem penduli oscillantis in ipso diversam ab ea, quæ haberetur, si oscillationes fierent in vacuo. Primus est ab ipsius pondere, quod minuit vim gravitatis, secundus a resistentia, quarum causarum utraque retardat descensum. Primus facile æstimatur. Si capiatur pondus globi in aqua, & in aere libero, habebitur ratio gravitatis specificæ materiæ globi ad aquam, quæ erit quamproxime, ut pondus in aere ad differentiam ponderum in eo, & in aqua; cum ea differentia sit pondus molis aquæ æqualis moli globi. Sit ea ratio n ad 1. Gravitas specifica nostri aeris ad gravitatem specificam aquæ est circiter ut 1 ad 800. Hinc

erit

erit gravitas specifica globi ad gravitatem specificam aeris, ut 800 n ad 1. Porro ex theoria gravitatis habetur, spatia descensus liberi esse, ut est vis, & quadratum temporis. Quamobrem eodem tempore erunt ea spatia ut vires: tempora oscillationum ad tempora descensus liberi per radium circuli habent rationem eandem, quæcunque sit virium magnitudo. Quare ratio virium erit eadem, ac ratio longitudinum pendulorum oscillantium ad singula secunda. Erit igitur longitudo inventa pro pendulo oscillante in aere ad longitudinem requisitam in vacuo, ut $800n - 1$, ad $800n$, sive quamproxime ut $800n$ ad $800n + 1$. Cum longitudo sit circiter linearum 440, addenda erit longitudini inventæ pro pendulo oscillante in aere pars lineæ proxime $= \frac{44}{80n} = \frac{11}{20n}$.

137. Potest adhiberi correctiuncula hujus determinationis petita ab altitudine barometri; nam aer altitudine barometri auctâ est densior, adeoque habet gravitatem specificam majorem: sed hic effectus est exiguus per sese; adeoque si discrimen in pondere comprimente sit exiguum, ut solet; inducet variationem effectus perquam exiguam: ipsa ratio gravitatis specificæ aeris ad gravitatem specificam aquæ æstimata 1 ad 800 non est accurata, sed tantum proxima.

138. Multo operosior est determinatio retardationis ortæ a resistentia aeris, & quidem admodum incerta ob incertam legem ipsius resistentiæ, quæ pendet plurimum a celeritate, sed non potest accurate determinari in qua velocitatum ratione sit, & ea omnis perquisitio potissimum, ubi agitur de fluidis elasticis, est ita implexa, ut hucusque extricari nequaquam potuerit. Quoniam ex theoriis, quæ adhiberi solent ad eam rem, determinatur simul retardatio descensus, & ascensus, ac diminutio hujus posterioris, ex qua provenit diminutio successiva oscillationum, quantitas vero ipsius diminutionis innotescit ex observatis identidem amplitudinibus arcuum; ea observatio potest prodesse plurimum ei ipsi perquisitioni. Eam hìc omittemus; & satis erit notare illud, resistentiam, imminuta velocitate, imminui plurimum. Hinc cum in arcubus exiguis velocitas sit perquam exigua; resi-

stentia ipsa, & retardatio inde orta, debent esse perquam exiguæ: habetur & compensatio quædam pro tempore cujusvis oscillationis: celeritas imminuta per resistentiam producit tempus; sed arcus in ascensu brevior, quam esset sine ipsa, contrahit nonnihil.

139. Uterque aeris effectus evitatur, si observatio instituatur in machina pneumatica. Id quidem fieri potest; sed requiritur machina ingens parata ad eam rem: longitudo penduli determinari potest ante extractionem aeris: eo extracto, motus primo imprimi potest, & restitui identidem ope ipsius machinulæ figuræ 15. Ejus basis potest affigi basi recipientis ita, ut elastrum distet a globo quiescente per duos pollices: latus CD continebitur applicatum lateri CB per filum metallicum horizontale transmissum per foramen sibi æquale excavatum in latere recipientis: id filum extra ipsum recipiens ita continebitur, ut laxatum possit excurrere vel majore vi, ad imprimendum globo quiescenti primum motum majorem, vel minore ad restituendum motum minorem primo. Sine elastro potest haberi planum verticale affixum filo ferreo crassiori horizontali, quod manu libera impellatur magis, vel minus ad imprimendum motum majorem, vel minorem: tum retrahatur statim, ne obsit globo redeunti. Verum ibi, summotâ resistentiâ aeris, durarent multo diutius satis magnæ per sese; quod si fieret per integras 24 horas, non esset opus ulla restitutione motus.

§. XVII.

De loco ad observationem instituendam idoneo.

140. Si quæratur exactitudo summa hujus determinationis; locus maxime idoneus erit conclave bene occlusum, quod ope ignis continui conservetur in gradu caloris eodem, vel parum diverso per totum tempus observationis, teste thermometro: id excludet etiam mutationem humiditatis, quod proderit plurimum methodo fili serici. Optimum esset prius per unum, vel alterum diem continere machinam, & omnia instrumenta adhibenda in ejusmodi conclavi

clavi præparato, ut omnia reducantur ad statum quendam permanentem.

141. Curandum, ut id conclave habeat parietes bene solidos, sit intra ædes in parte remotiore a tremoribus, qui inducuntur a curribus. Optimum factu esset, si pavimentum inniteretur fornici potius, quam trabibus: si id non occurrat, optimum erit applicare horologium ad parietem internum solidum, & collocare machinam prope ipsum: nam prope parietes habetur semper soliditas pavimenti major. Exigui tremores machinæ, & horologii turbant oscillationes nonnihil, mutando locum puncti suspensionis, quod reddit arcum descriptum tantillo majorem, vel minorem: inde habetur discrimen in tempore oscillationis: id erit perquam exiguum, si tremores non sint satis magni: adhuc tamen id etiam evitari debet, quantum licet.

142. In eodem, vel in proximo conclavi apponendum erit telescopium pro fixa: si pavimentum sit innixum fornici, poterit prope fenestram applicari candelabrum solidum metallicum, cui id adnexum sit: secus oportebit affigere parieti solido machinamentum ferreum, quod contineat fixum, & immobile ipsum telescopium. Ne per foramen fenestræ, per quod transpicitur astrum, turbetur gradus caloris intra conclave, id erit reserandum paullo ante transitum fixæ, & occludendum statim post ipsum transitum. Si telescopium sit in eodem conclavi cum machina, facile audietur sonus singularum oscillationum horologii: si sit in proximo, adhibenda erit machina, quam appellant numeratorem, *le compteur*, quæ fortiorem sonum edit ad singula secunda, & ita disponenda erit, ut sonum edat accurate in fine cujusvis oscillationis horologii.

143. Optimum esset habere duo ejusmodi telescopia fixa, alterum affixum candelabro innixo pavimento firmo, alterum parieti, quorum alterum posset collocari in eodem conclavi, alterum in proximo: directo utroque in idem astrum ita, ut exiguo intervallo temporis fixa appellat ad eorum fila, haberetur indicium de eorum immobilitate ab æqualitate ejus intervalli binis consequenter diebus. Posset itidem eidem vel candelabro, vel machinæ ferreæ affixæ muro affigi aliud telescopium directum ad objectum

ctum terrestre parum remotum : si enim id perpetuo inveniatur directum accurate ad idem punctum ejus objecti ; id erit indicio, alterum etiam, quod ad fixam dirigitur, mansisse immobile.

144. Poterit seligi domus vicina cuipiam monumento publico stabili, ut templo, & notari positio respectu ipsius, ut innotescat futuris temporibus, quo in loco observatio sit habita. Templum ipsum nequaquam seligerem, quia intra ipsum temperies multo magis mutatur, quam intra calefactum conclave : nec potest ibi haberi proximum telescopium directum ad fixam, nec vero commode poterunt assumi altitudines correspondentes, quibus tamen minus fidendum censeo, ubi agitur de determinandis non solum secundis revolutionis diurnæ, sed etiam eorum fractionibus. Si templum non sit occlusum toto observationis tempore ; oportet ibi adesse perpetuo, ne quis contingat, & oscillationes turbet, dum e conclavi facile occludendo licet recedere per plures continenter periodos : nec unquam ipsum templum ita bene occluditur, ut omnis aditus præcludatur vento, cujus impulsus turbare potest observationem. Soliditas, quæ videtur habenda major in templo pro immobilitate instrumentorum, potest obtineri summa etiam in ædibus privatis, potissimum si seligatur conclave in ima domo adjacens horto, & remotum a via publica.

145. Si locus fuerit proximus monti, vel mari, timere quis poterit actionem attractionis, vel massæ eminentis supra superficiem regularem, ad quam mente concipimus redactam hanc irregularem, & asperam, vel undæ æstus supervenientis. A maris æstu nihil timendum esse, quod sensu percipi possit, demonstravi alibi. Si æstus maris elevet stratum aquæ altum 50 pedibus, & protensum in semicirculum circa punctum littoris contigui per leucas 17, inveni, deviationem penduli in latus ab attractione ejus strati fore $2''.28'''$, si aqua habeat densitatem æqualem mediæ densitati terræ, quæ quantitas deviationis augetur parum admodum, producto strato in immensum : recedendo inde per intervallum satis exiguum, ea ipsa tam exigua quantitas decrescit plurimum. Porro ejusmodi altitudo æstus nusquam protenditur ad ingens intervallum a littoribus ; sed quod caput est, ea deviatio fit in la-

tus :

tus : augmentum gravitatis , quæ respondet diagonali ejus parallelogrammi , cujus latera exprimunt binas vires , remanet in eo ipso littore prorsus insensibile .

146. Deviatio 2''.28''' in filo penduli admodum longi potest utique ita esse sensibilis , ut ope microscopii observari possit etiam centesima ejus pars . Hinc si in ipso littore , ubi ad ejusmodi altitudinem assurgunt maria , habeatur solida turris 80 , vel 60 pedum , & ex ejus muro demittatur pendulum inclusum tubo prohibente ventum cum microscopio parallelo directioni littoris ; posset videri , an adveniente æstu habeatur ejus motus in latus versus eam undam proveniens ab hujus attractione , & quantus is sit : posset haberi mensura elevationis aquæ in littore , & in pluribus etiam distantiis a littore ipso , ut inde æstimetur magnitudo , & positio massæ advenientis , & computetur ejus effectus in hypothesi mediæ densitatis terræ æqualis densitati aquæ . Si is inveniatur per observationem major , vel minor quam per calculum ; innotescet , an media terræ densitas sit minor , an major densitate aquæ , & quantum . Eo pacto haberetur indicium de constitutione interna terræ : an nimirum ea sit quidam nucleus vacuus , an versus centrum multo densior : haberetur pondus ipsius relatus ad libras nobis cognitas , dum nunc habemus dumtaxat massam terræ relatam ad massam solis , Jovis , Saturni , non ad massam terrestrium horum corporum , quæ attrectamus . Hanc methodum determinandi massam terræ ego jam olim proposui . Cum sit difficile habere in ipso littore turrim ejus altitudinis ; posset in eodem elevari malus admodum vetustus , qui minorem subeat mutationem a mutatione aeris , maxime elevatus , & ipsi adnecti tubus cum ejusmodi pendulo , & microscopio : haberentur motus ipsius mali irregulares provenientes a discrimine caloris , & humiditatis : sed longa series observationum institutarum æstu adveniente , & recedente , indicaret partem debitam regulari effectui elevationis , & depressionis marium .

147. Ex actione exigua , quam montes etiam ingentes exercent in deviandis filis pendulorum pertinentium ad instrumenta astronomica , quæ inventa est quidem aliqua , sed exigua , videtur e-

rui ,

rui, densitatem terræ in majore profunditate, infra superficiem esse multo majorem, quam prope superficiem ipsam: quanquam id posset etiam provenire ex eo, quod montes habeant ingentes cavitates in ipso sinu. Plerique ex iis, & fortasse omnes, ortum ducunt a stratis terræ elevatis vi ignium internorum, quo casu ipsorum massa non exercet attractionem majorem, quam exerceret ante suam elevationem, & accedit solum attractio massæ aquæ, quæ insinuata intra cavitates relictas, eas implevit usque ad quandam altitudinem, ac debet esse sola causa ejus exiguæ deviationis.

148. Hæc exiguitas actionis lateralis montium in causa est, cur ego minus timeam inde incrementum gravitatis, quod respondet multo minori excessui diagonalis exprimentis vim compositam, potissimum ubi montes non sint immanes. Hinc satis erit pro hisce observationibus pendulorum oscillantium seligere loca, quæ non sint proxima montibus ingentibus. Magis timerem inæqualitates textus terræ, quæ habentur infra superficiem, quæ magis directe vel conspirant cum gravitate, vel ipsi opponuntur, cum addensationes ipsam augeant, cavitates minuant. Est admodum probabile, eam esse exiguam: adhuc tamen ea potest evadere sensibilis in experimentis hujus generis, quam ob causam esset res non inopportuna, si hæ observationes instituerentur cum hac præcisione, de qua hìc egimus, in locis pluribus satis distantibus a se invicem in eadem latitudine ad deprehendendum ejusmodi discrimen.

149. Erit res satis opportuna determinatio elevationis loci supra libellam maris: sed in eo non est necessaria nimia exactitudo. Abunde erit inæqualitas altitudinis mercurii in binis barometris ad mare, & in loco observationis.

§. XVIII.

De harum observationum usu.

150. PRIMUS harum observationum usus potest esse ipsa confirmatio attractionis generalis, a qua gravitas ortum ducat. Si enim in diversis locis habentibus latitudinem eandem, & longitudines diversas, ac parum diversas elevationes supra superficiem maris inve-

veniantur diversæ longitudines penduli oscillantis ad singula secunda; ea inæqualitas non poterit provenire a discrimine vis centrifugæ motus diurni: tribuenda omnino erit discrimini attractionis ortæ tam ab irregulari textu partium terræ, quam ab irregularitate ejus figuræ. Quin immo, quoniam satis comperta est quantitas discriminis, quod oriri potest a sola vi centrifuga, idem fructus erui potest ex hujusmodi observationibus institutis in diversis locis habentibus etiam latitudines diversas. Discrimen longitudinis penduli, quod in iis invenitur majus, quam requirat solum discrimen vis centrifugæ respondentis diversis parallelis, tribuendum est discrimini attractionis compositæ ex attractionibus omnium particularum, quæ attractiones non debent esse eædem respectu punctorum positorum in diversis parallelis superficiei figuræ non sphæricæ, sed compressæ ad polos.

151. Videtur prima fronte, posse ope hujusmodi observationum inquiri etiam in ipsam legem gravitatis, eas instituendo prius in campis, vel vallibus, tum in summis montibus. Verum hæc perquisitio poterit itidem docere potius inæqualem textum partium terræ, & irregularitatem ejus superficiei, quam legem, secundum quam gravitas augetur, vel minuitur in recessu a centro. Si terra esset sphæra accurata, & prorsus plena, ac homogenea ex materia, cujus puncta omnia se mutuo attrahant in ratione reciproca duplicata distantiarum; vis in centrum puncti recedentis ab ipso augeretur usque ad superficiem in ratione distantiæ simplicis, & supra superficiem minueretur in ratione ipsius reciproca duplicata. In eo transitu fieret saltus quidam ab una lege ad aliam, in quo saltu ipso diversæ methodi exhibent diversam vim, & occurrunt contradictiones quædam, quarum causa præcipua est ipsa lex virium attractivarum crescentium imminutis distantiis in ratione potentiæ paris ipsarum distantiarum. Ostendi ego alibi pluribus in locis, legem ejusmodi continuatam usque ad centrum peccare contra naturam Geometriæ. Si enim distantia post transitum per zero fiat negativa; ipsius quadratum, & omnes potentiæ pares remanent positivæ, quam ob causam vis, quæ sequatur accurate eam legem, deberet post transitum servare directionem

priorem, dum ex natura attractionis debet eam mutare in contrariam, ut retrahat in centrum, quod est prætergressa.

152. Verum si intra ejusmodi sphæram ascendat non punctum unicum, sed massa quædam, ut globus, quæ occupet partem quandam ejus spatii interni, & multo magis, si sphæra non sit plena materiâ homogeneâ, nec terminata superficie accurate sphærica, tum lex gravitatis compositæ nec in ascensu usque ad superficiem sequitur accurate rationem directam, nec ultra reciprocam duplicatam distantiarum, sed habetur unica quædam lex continua, quæ prope eum transitum recedit plurimum ab utraque. Id accidit in terra habente tot intervalla vel vacua, vel multo minus densa, & superficiem tam asperam. Mutatio vis in ascensu ab imis vallibus ad summos montes debet esse complicatissima, & in aliis rectis lineis verticalibus longe alia. Quamobrem nihil in eo genere determinari potest per hujusmodi observationes.

153. Hæc irregularitas nocet etiam alteri usui, quem habere possunt observationes hujus generis, nimirum ad determinandam figuram terræ. Affirmaverat jam olim Newtonus in hypothesi homogeneitatis nuclei terræ, & marium, quibus is affunditur, debere haberi figuram ellipticam, quod deinde Mac-Lavrinus accurate demonstravit, & pro ejusmodi ellipsi Newtonus invenerat, ellipticitatem, & fractionem gravitatis debere esse æquales, nimirum utramque $= \frac{1}{230}$. Ellipticitas est differentia axium divisa per axem majorem, & fractio gravitatis differentia gravitatis in æquatore, & polo divisa per posteriorem. Gradus meridiani sunt ut radii circulorum osculatorum, & hi in verticibus axium ellipseos reciproce, ut cubi semiaxium. Quare si dentur gradus sub æquatore, & polo; dabitur ratio axium, adeoque ellipticitas. Gravitates sunt ut longitudines pendulorum isochronorum. Quare si dentur hæ longitudines in æquatore, & polo, dabitur fractio gravitatis. Adjecerat Newtonus ipse, gradus meridiani, & gravitatem, auctâ distantiâ ab æquatore, debere augeri ita, ut differentiæ a minimis existentibus in æquatore ipso sint proportionales sinubus versis latitudinum

num duplicatarum. Clairautius invenit postea pro casu heterogeneitatis nuclei, & fluidi ambientis, eas binas fractiones debere esse inæquales ita, ut illa fractio communis pro casu homogeneitatis $= \frac{1}{230}$ sit accurate media arithmetice proportionalis inter ipsas.

154. Inde fit, ut per differentiam gravitatis æque inquiri possit in figuram terræ, ac per mensuram graduum. Si habeantur per observationes bini gradus, & binæ longitudines penduli pro binis parallelis terræ satis a se invicem distantibus, & ipsius terræ figura sit elliptica; invenientur facile per id theorema & bini gradus, & binæ pendulorum longitudines pro æquatore, & polo. Inveniantur sinus versi latitudinum duplicatarum pertinentium ad loca observationum, & fiat ut eorum differentia ad majorem, ita differentia graduum, vel longitudinum observatarum ad quartum terminum auferendum a gradu, vel longitudine majore, ut habeatur respondens æquatori: tum ut sinus versus major ad duplum radium, nimirum ad sinum versum semicirculi, qui est dupla latitudo in polo, ita terminus inventus in priore proportione ad quartum terminum addendum gradui, vel longitudini sub æquatore, ad habenda ea, quæ pertinent ad polum.

155. Hinc e binis longitudinibus pendulorum observatis determinaretur ellipticitas æque, ac ex binis gradibus: ex his immediate, ex illis inventa fractione gravitatis, cujus numerator est differentia longitudinum in æquatore, & polo, & denominator longitudo posterior, ac eâdem per theorema Clairautii subtractâ a dupla fractione homogeneitatis $= \frac{2}{230}$. Hic esset unus ex præcipuis fructibus hujus observationis, nisi irregularitas & superficiei terrestris, & textus interni ejus partium turbaret hanc methodum. Sine ejusmodi irregularitate tam excessus graduum, quam excessus longitudinum penduli oscillantis ad secunda temporis supra gradum, & longitudinem debitam æquatori, sequerentur accurate rationem illorum sinuum versorum: bini gradus determinati in binis latitudinibus exhiberent ellipticitatem, & binæ longitudines pendulorum fractionem gravitatis: hæc autem per theore-

ma Clairautii exhiberet itidem ellipticitatem, quæ deberet prodire eadem utrâque viâ.

156. Clairautius redux ex Lapponia cum Maupertuisio censebat, & e dimensione graduum erui ellipticitatem multo majorem fractione homogeneitatis $\frac{1}{230}$, & ex longitudinibus pendulorum fractionem gravitatis fere eandem cum ellipticitate, multo itidem majorem eadem fractione $\frac{1}{230}$: id erat contrarium theoremati a se invento, & æquilibrio naturali ipsius terræ, nec aliter explicari posse censuit id phænomenum, nisi supponendo, figuram nuclei terræ magis compressam per sese, quam æquilibrium ferret, vi illata ipsi nucleo a cohæsione partium, quæ impediret acquisitionem figuræ requisitæ ab æquilibrio.

157. Ego hanc ipsam irregularitatem metuens jam tum ab initio, affirmavi in Dissertatione edita paullo post evulgatas a Maupertisio suas observationes, dubitandum esse de illa tanta compressione Telluris, quantam ipse Maupertuisius e suis observationibus deduxerat. Deinde in pluribus ex insequentibus meis operibus comparando inter se plures gradus meridiani, & plures longitudines pendulorum, ostendi, differentias non sequi rationem illorum sinuum versorum, unde fiebat, ut singula binaria graduum, & longitudinum penduli singulas diversas determinationes exhiberent. Verum animadverti, multo majorem inveniri irregularitatem in differentiis graduum, quam in differentiis longitudinum penduli. Id autem ipsum ostendi esse maxime consentaneum rationi : nam mensura graduum perturbatur ab actione laterali montium, & collium, quæ mutando directionem pendulorum in astronomicis instrumentis, mutant positionem punctorum verticalium, sive diversorum zenith, & parum admodum magnitudinem gravitatis, dum irregularitates, quæ habentur infra superficiem, debent actione magis directa turbare multo magis magnitudinem gravitatis, quam directionem. Porro inæqualitates in superficie videmus ubique, & infra superficiem videntur debere esse multo minores saltem in ea profunditate, in qua actio debeat esse parum

rum obliqua ; adeoque debet omnino inveniri irregularitas major in gradibus, quam in pendulis.

158. Hæc exposui tam in meo Opere *de Litteraria Expeditione per Pontificiam ditionem*, quam in Supplementis Stayanis : sed in his exhibui theoriam, quæ determinat correctionem adhibendam quinque gradibus, qui tum habebantur, ut reducantur ad proportionem illam sinuum versorum, sed juxta leges quasdam probabilitatis ibidem expositas. Iis correctionibus adhibitis inveni ellipticitatem multo minorem illâ, quam Maupertuisius deduxerat, & illis, quas post ipsum reliqui omnes adhibuerunt alii alias, nimirum non solum non majorem illa $\frac{1}{230}$, sed multo minorem, & accedentem ad eam ipsam, quæ juxta theorema Clairautii eruitur e longitudinibus pendulorum. Multo plures graduum dimensiones habitæ sunt postea. Applicatâ eâdem theoriâ correctionum ei majori numero, occurrit ellipticitas fere prorsus consentiens cum illa, quam requirit ea tanto major fractio gravitatis exhibita a longitudinibus pendulorum. De tota hac re videnda est adnotatio adjecta in fine versionis Gallicæ ejusdem Operis *De Litteraria Expeditione* edita Parisiis sub titulo *Voyage Géographique, & Astronomique*, ubi hæc omnia pluribus evolvuntur.

159. Ex his omnibus constat, optimum fore, si in locis plurimis instituantur cum summa cura observationes pro eruenda longitudine penduli oscillantis ad secunda. Cum harum longitudinum irregularitas sit tanto minor ; ipsæ erunt multo magis idoneæ ad determinandam quantitatem compressionis terræ, quam diversi gradus, potissimum si iis etiam applicetur eadem correctionum theoria, quæ eodem prorsus pacto iis convenit, quo gradibus : accedit, quod earum determinatio multo minorem exigit & impensam, & laborem, quam mensura graduum.

160. Alius usus hujusce observationis est pro determinanda quantitate accurata gravitatis terrestris, quæ deinde transferatur ad quantitatem gravitatis lunæ in terram, & quæ exhibeat accurate spatium, quod grave libero lapsu debet percurrere uno secundo temporis, quæ quidem mensura est plurimarum perquisitionum ba-

basis. Est notissimum theorema, tempus unius oscillationis minimæ ad tempus casus per duplam longitudinem penduli esse, ut est semicircumferentia circuli ad diametrum: hinc cum spatia in libero descensu sint ut quadrata temporum, erit quadratum diametri ad quadratum semicircumferentiæ, sive quamproxime 113×113 ad $\frac{1}{4} \times 355 \times 355$, ut dupla longitudo penduli ad spatium, quod grave libero descensu percurreret uno secundo temporis. Si longitudo dicatur l; id spatium evadit $\frac{355 \times 355 l}{113 \times 226}$. Cumque Parisiis sit l proxime linearum 440, evadit id spatium $=$ *lin.* $2171\frac{1}{3}$, sive proxime pedum 15, & unius pollicis. Quantitas accurata pro locis singulis determinabitur habita pro iis accurata longitudine l penduli oscillantis ad singula secunda. Sed hæc ipsa quantitas erit alia in aliis locis. Si figura terræ esset regularis, habitâ eâ quantitate pro uno loco, eadem haberetur pro omnibus aliis positis in eadem latitudine, & facile deinde deduceretur pro reliquis latitudinibus omnibus ex illa proportionalitate excessuum supra gravitatem sub æquatore cum sinubus versis latitudinum duplicatarum: tum etiam facile determinaretur quantitas descensus majoris, quam impedit vis centrifuga. Sed irregularitas illa efficit, ut debeat inveniri aliquod discrimen non solum aliud in aliis latitudinibus irregulariter, sed etiam in eadem latitudine alibi aliud, exiguum quidem, sed tamen aliquod, quod impedit usum observationis institutæ in uno loco pro habenda ea quantitate in aliis penitus accurata.

161. Apponemus pro usu postremo mensuram universalem, quæ inde peti solet, quæ nimirum possit ex uno loco terræ extendi per totam ejus amplitudinem, & transmitti ad posteros. Ad eam rem censent, assumendam esse pro ea mensura universali longitudinem penduli simplicis oscillantis ad singula secunda. Cum ea inveniatur paullo longior tribus pedibus Parisiensibus; censent, ipsâ divisâ in partes æquales tres, posse eum appellari pedem horarium, quæ mensura remaneat certa, & immunis ab omni periculo erroris apud omnem posteritatem.

162. Ne habeatur ejusmodi mensura universalis pro locis omnibus,

bus, hìc etiam opponitur irregularitas eadem figuræ terrestris, saltem si quæratur summa exactitudo. Oportet notare non solum latitudinem loci, sed etiam longitudinem, & designare locum ipsum observationis, ac mensuram ibi inventam transferre insculptam in regula metallica, uti nunc fit. Aliter qui pedem horarium invenerit uno in loco per ejusmodi observationem, non habebit pedem pertinentem ad alium quempiam accurate, sed tantum vero proximum.

163. Accedit pro omnibus hisce usibus exigua quidem, sed tamen aliqua incertitudo effectuum resistentiæ, & gravitatis aeris, qui possunt æstimari itidem veris proximi, non penitus accurati. Verum, quod pertinet ad mensuram universalem non solum respectu omnium diversorum locorum terræ, sed omnium temporum, habentur aliæ causæ incertitudinis, potissimum si agatur de temporibus admodum remotis.

164. In primis incertum est, an massa terræ conservetur semper eadem. Exigua mutatio ipsius habetur quotidie in exhalationibus, quæ elevantur supra superficiem Telluris: illæ particulæ, quando erant infra superficiem, augebant gravitatem; quando sunt elevatæ supra, eam minuunt. Mutant quantitatem attractionis etiam flumina, & pluviæ, mutata positione particularum attrahentium: æstus maris, & alii motus ipsius varii idem præstant. Ea omnia edunt effectus admodum exiguos, & insensibiles, sed tamen edunt semper aliquos, ut liceat ubique agnoscere discrimen inter veritates æternas, quas nobis suggerit Geometria, & Calculus, & illas, in quibus se immiscet Physica. In illis numquam fallimur, si rite procedimus: in his non est datum homini, ut non erret, sed ut minus erret.

165. Verum ubi agitur de tractu temporis multo longiore, ut plurium sæculorum, videtur haberi posse dubium de multo majore, & permanenti mutatione massæ totius terræ. Nescimus, an in ejus motu circa solem aliquid, quod ad eam pertinebat, remaneat retro, immixtum atmosphæræ solari; an aliquid ex atmosphæra solari e contrario immixtum cum atmosphæra terrestri ipsi accedat, & perpetuo adhæreat: an e cometarum caudis aliquid

quid in eorum transitu prope terram recidat in hanc ipsam. Fiet utique ex hisce omnibus capitibus mutatio aliqua: habebuntur compensationes, sed nunquam innotescet, an compensationes fiant accurate, an post admodum longam sæculorum seriem habeatur aliqua non insensibilis mutatio in massa terræ.

166. Verum non sola mutatio massæ terrestris mutaret longitudinem penduli: ejus mutatio proveniret etiam a mutatione motus diurni. Duplex in eo mutatio haberi potest, altera directionis, altera celeritatis. Videntur saltem jam a longo tempore poli terræ occupare eadem puncta superficiei ipsius: solent pro indicio afferri directiones laterum pyramidum Ægypti a borea in austrum permanentes per tot sæcula. Sed in primis non constat, an eam directionem habuerint accuratam initio, nec vero an hodie habeant penitus accuratam, an tantummodo proximam directioni lineæ meridianæ. Deinde si polus habuisset motum in ipsa directione ejus meridiani; directio earum pyramidum adhuc hodie abiret a borea in austrum. Altitudo poli conservata, & conjuncta cum conservata directione lineæ meridianæ melius probaret perseverantiam poli in eodem loco; sed non habemus veteres poli altitudines, nisi determinatione satis crassa per crassiora illa instrumenta, quibus Veteres utebantur.

167. Ex alia parte habentur causæ physicæ, quæ possent inducere mutationem positionis poli. Possent homines longo labore inducere ejusmodi mutationem, ut jam olim notavit Newtonus. Si nimirum congererent satis magnam partem massæ terrestris in unum locum, & extruerent montem ingentem; polus terræ inciperet mutare locum, & erraret per ejus superficiem. Mutationes exiguas positionis partium terræ inducit perpetuo Natura ipsa: nescimus, an eæ longo tractu temporis debeant inducere mutationem sensibilem. Sine ullo impulsu cometæ cujuspiam possent fortasse haberi post immanem sæculorum seriem mutationes in positione poli etiam ita magnæ, ut sunt eæ, quas suspicantur jam accidisse nostro globo ii, qui tribuentes ipsi immanem antiquitatem censent, æquatorem olim fuisse Lapponiæ proximum.

168. Quid vero de celeritate motus diurni? An ea perseveret sem-

semper eadem, scire non possumus. Possunt quidem homines ope observationum accuratissimarum invenire rationem conversionis diurnæ ad conversionem annuam. Sed in primis eam nondum habemus satis certo cognitam: dubitatur adhuc ob crassiores Veterum observationes, an annus habeat hodie eundem numerum dierum, minutorum, secundorum, quem habuit olim: si habeat diversum, potest id discrimen provenire tam a mutata magnitudine temporis annui, quam a mutata magnitudine diurni: si habeat eandem; adhuc dubitari poterit, an magnitudo utraque remanserit constanter eadem, an potius mutatio facta fuerit in utroque motu in ratione eadem.

169. Porro habentur causæ physicæ mutationis cujuspiam non solum in motu annuo, sed etiam in diurno. Terra conversionem diurnam non peragit in vacuo, sed in fluido quodam, tenui quidem, sed tamen constante materiâ, quæ possit retardare motum ipsum. Newtonus ipse, cui tribuitur sententia de motu astrorum in vacuo, non admisit verum vacuum, sed fluidum tenue. Habetur expresse apud ipsum opinio de resistentia aliqua, dum dicit: *Majora autem Planetarum, & Cometarum corpora in spatiis minus resistentibus motus suos conservant diutius*. Hæc resistentia post longissimam sæculorum seriem posset minuere celeritatem motus diurni mutatione sensibili.

170. Verum mutatio fortasse multo major induci posset a mutatione positionum, quam multæ partes massæ terrestris subeunt respectu totius globi. Concipiamus partem massæ momento temporis avulsam a polo, ubi habebat tantummodo motum annuam, & translatam sub æquatorem nocturno tempore, quo motus diurnus conspirat cum annuo. Ibi impulsu partium contiguarum deberet acquirere etiam diurnum, adeoque accelerari: ea acceleratio deberet retardare motum diurnum totius globi. Si e contrario massa avulsa ab æquatore transferretur in binos polos; ea imprimeret motum majorem partibus sibi contiguis, qui motus induceret mutationem aliquam in motu annuo, nullam in motu diurno. Plurimæ partes massæ terrestris mutant distantiam a polo, ut flumina, ut maria tot motibus agitata, naves, currus, ho-

mines : ea omnia abeunt ad loca majoris, vel minoris celeritatis motus diurni, & exemplum massæ momento temporis translatæ a polo ad æquatorem, & ab æquatore ad polum, indicat compensationem non haberi in regressu versus polum, vel saltem inducit dubium de compensationis æqualitate. Si compensatio non sit accurata ; habebitur post longam sæculorum seriem diminutio motus diurni.

171. Jam vero ea omnia inducerent mutationem in longitudinem penduli oscillantis ad singula secunda temporis medii in eodem loco. Massa mutata id præstaret ob mutatam vim gravitatis, cui cæteris paribus est proportionalis longitudo temporis : positio poli mutata mutaret vim centrifugam motus diurni, mutaret positionem partium terræ, mutato situ compressionis, & elevationis respondentium ei vi : ex utroque capite subiret mutationem longitudo penduli oscillantis in eodem loco. Sed mutata celeritas motus diurni id præstaret multo magis : quia duratio conversionis diurnæ fixarum magis diuturna admitteret majorem numerum oscillationum ejusdem penduli, cujus longitudo esset idcirco augenda ad reddendum numerum, qui ante ejusmodi mutationem habebatur.

172. Addi potest incertitudo naturæ gravitatis. Si ea pendet ab aliqua ex iis causis, quas appellant mechanicas, nimirum ab aliquo impulsu materiæ, ut Cartesiani eam repetebant a suis vorticibus, Hugenius a suis motibus circularibus in omnes plagas, & Dominus Le-Sage multo sane conformius ad leges mechanicæ, licet per hypothesim itidem prorsus arbitrariam, & quæ non ita facile admittenda esse videatur, impulsu suarum particularum ultramundanarum, ut illas appellat ; haberi utique posset aliqua mutatio nobis ignota in motu, & celeritate ejus materiæ. Quod si gravitas provenit a lege aliqua primitiva, vel innata, & propria materiæ, vel inducta a libera voluntate Creatoris ; utique nunquam homini constare poterit, an ea qualitas, undecunque proveniat, intendi possit, & remitti ; quod si fiat, jam longitudo penduli mutationem subibit, & mensura credita universalis, ac transmissa ad posteros hac methodo eos fallet.

173.

173. Ex hisce omnibus constat semper magis, quantum incertitudinis ubique secum trahat Physica, ubi semel se puræ Mathesi immiscet, & quam misera sit humani generis conditio, potissimum ubi in naturam inquirit. Ubique illud se prodit, *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo omne opus, quod operatus est*. Nihil habemus certum, & stabile, nisi prima principia, & quæ ab iis recta ratiocinatione deducuntur, quod æterna Geometriæ, & Calculi præclarissima inventa usque adeo commendat, & ostendit, ipsa etiam per sese nostris studiis, & humanæ mentis contemplatione dignissima.

§. XIX.

Additamentum de centro oscillationis.

174. In mea *Theoria Philosophiæ Naturalis* ut alia multa, ita & ea, quæ pertinent ad centrum oscillationis, deduxi ex sola lege vis compositæ expressæ per diagonalem parallelogrammi, cujus latera exprimunt vires componentes. Considerando actiones mutuas trium massarum, quæ agant in se invicem vel se mutuo attrahendo, vel repellendo, inveni theoremata generalia, & elegantia, & fœcunda, quæ pertinent ad vires agentes in massas singulas, quarum quælibet componitur e binis actionibus reliquarum binarum massarum. Horum alia pertinent ad directiones earum virium compositarum, alia ad magnitudines. Ex eo, quod pertinet ad magnitudinem earum virium, deduxi omnem theoriam centri oscillationis. Hìc methodo adhuc simpliciore demonstrabo illud unicum, ex quo profluit theorema generale, quod hìc appellavi I num. 105, tum ex eo deducam ea omnia, quæ pertinent ad centrum oscillationum figurarum, quibus usus sum in toto §. XIV, ad eruendas formulas ibidem propositas.

175. Sint in fig. 20 (Tab. VII) tres massæ in A, B, C, quæ agant in se mutuo utcumque: figura est aptata casui, quo omnes se mutuo attrahant: sed si vel omnia, vel aliqua e tribus actionum binariis se repellant; facile erit omnibus iis casibus aptare figuram huic similem, & in omnibus habebuntur hæc eadem, quæ hìc exhibe-

hibebo pro hoc casu. Massa A attrahatur a massis B, C per vires AD, AE, quæ componant vim AF: massa B a massis A, C per vires BG, BH, quarum composita sit BI: massa C a massis A, B per vires CK, CL, quarum composita sit CM.

176. Quod pertinet ad directiones, inveni omnes tres directiones AF, BI, CM, utrinque productas, semper transire per quoddam punctum commune, vel esse omnes parallelas inter se: tum in casu, in quo id punctum sit intra triangulum ABC, vel omnes tres eas vires compositas dirigi ad id punctum, vel omnes ad partes ipsi oppositas: & in casu, in quo id jaceat extra ipsum triangulum, vel earum mediam dirigi ad id punctum, & reliquas binas ad partes ipsi contrarias, vel illam ad partes contrarias, & binas reliquas ad ipsum: ubi autem, eo puncto abeunte in infinitum, evadant parallelæ ipsæ tres rectæ, vim mediam habere directionem contrariam directioni extremarum. Quod autem pertinet ad magnitudinem, vires binarum esse ad se invicem in ratione composita ex hisce tribus, reciproca massarum, reciproca distantiarum a tertia massa, & reciproca sinus anguli, quem earum virium compositarum directiones continent cum rectis jungentibus eas massas cum massa tertia.

177. En demonstrationem hujus postremi, quod solum hìc erit satis. Ratio AF ad BI componitur ex tribus AF ad AD, AD ad BG, BG ad BI. Porro prima AF ad AD est ratio sinus ADF, ad sinum AFD, nimirum ob DF, AC parallelas ut sinus anguli CAB, qui est supplementum prioris, ad sinum CAF, qui est alternus posterioris: AD ad BG est ratio massæ B ad massam A: BG ad BI est ratio sinus GIB, sive CBI ejus alterni ob GI, BC parallelas, ad sinum BGI, sive CBA ejus supplementi. Secunda ex iis tribus est ratio reciproca massarum: prima, & ultima est *sin.*CAB × *sin.*CBI ad *sin.*CAF × *sin.*CBA. Hæc ratio componitur itidem ex binis, quarum prior est *sin.*CAB ad *sin.*CBA, sive CB ad CA, nimirum reciproca distantiæ CA ad distantiam CB earundem massarum a tertia, posterior est *sin.*CBI ad *sin.*CAF, quæ est ratio reciproca sinuum angulorum CAF, CBI, quos eæ directiones continent cum rectis jungentibus eas massas cum tertia.

tia. Adeoque habentur tres rationes propositæ in theoremate demonstrando.

178. Porro eadem ratio habebitur, sive illæ tres massæ agant in se invicem immediate, sive per intermedias, quarum actiones mutuæ ita se invicem destruant, ut remaneat solus effectus in motu, vel pressione extremarum: semper actiones in massis extremis erunt contrariæ, & reciprocæ massis agentibus, adeoque in iis recurrent proprietates eædem.

179. Sit jam in fig. 21 C punctum, per quod transit axis conversionis perpendicularis plano, in quo jaceant plures massæ positæ in diversis ejus punctis A, quæ concipiantur connexæ cum puncto C, & cum alia quadam massa B collocata in centro oscillationis, & connexa itidem cum C ita, ut omnes eæ massæ debeant conservare positionem mutuam, adeoque describere arcus circulorum similes habentes pro centro C. Sit M centrum gravitatis commune omnium ejusmodi massarum: CN linea verticalis: AA', BB', MM' perpendiculares in ipsam: B*b*' arcus oscillando descriptus a massa B, qui ex natura centri oscillationis erit æqualis illi, quem ea massa describeret vi suæ gravitatis, si ea esset sola; nimirum quem describerent omnes massæ, si essent ibi compenetratæ cum ipsa, ubi B*b* sit motus, quem sine actione nova gravitatis habuisset ea massa ex velocitate præcedente, *bb*' motus adjectus ex novo impulsu gravitatis ipsius. Pariter sit A*a*' arcus descriptus a massa A, cujus A*a* sit pars debita velocitati præcedenti, *aa*'' pars, quæ fuisset adjecta ab actione gravitatis, *a*'*a*'' pars ablata, ut figura exprimit, vel adjecta a nexu cum C, & B pro varia positione illius respectu harum.

180. Ex actione mutua massarum A, C, B massa A amittit, vel acquirit motum *a*'*a*'', adeoque massa B ex ipsa deberet acquirere, vel amittere partem motus, quem habet secundum directionem B*b*, quæ esset ad *a*'*a*'', in ratione composita ex illis tribus, nimirum reciproca massarum B, A, reciproca distantiarum BC, AC, reciproca sinuum angulorum CB*b*, CA*a*: cum ii anguli sint recti, adeoque æquales, relinquuntur solæ priores binæ rationes: sed quoniam ea massa accelerata ab aliquibus massis A, retarda-

ta

ta ab aliis, percurrit arcum, quem percurreret, si nullum haberet ejusmodi nexum; oportet, summa omnium ejusmodi actionum sit = o.

181. Dicantur eæ massæ A, & B. Erit ob arcus similes tam pars A*a* ad B*b*, quæ sunt continuationes motus præcedentis, quam totus arcus A*a*' ad totum B*b*', adeoque & residuum *aa*' ad *bb*' in ratione CA ad CB. Quare erit $aa' = \frac{CA \times bb'}{CB}$. Vis gravitatis absoluta ad eam partem, quæ accelerat descensum obliquum, est in fig. 19, ut AP ad AD (num. 98), nimirum ut GA ad AE, sive hìc ut CA ad AA'. Quare eæ vires, quæ accelerant descensum in B, & A, erunt, ut $\frac{BB'}{CB}$ ad $\frac{AA'}{CA}$; adeoque erit $aa'' = \frac{AA'}{CA} \times \frac{CB}{BB'} \times bb'$, & $a'a'' = \frac{AA'}{CA} \times \frac{CB}{BB'} \times bb' - \frac{CA \times bb'}{CB}$. Hic valor ducendus erit in $\frac{A}{B} \times \frac{CA}{CB}$ ad habendum effectum nexus in B, qui effectus idcirco erit $\frac{A}{B} \times \frac{AA'}{BB'} \times bb' - \frac{A}{B} \times \frac{CA^2}{CB^2} \times bb'$.

182. Si summa horum valorum fiat = o; tollendi erunt factores, qui sunt communes omnibus terminis. Hujusmodi sunt *bb*', & B (valor A pro aliis massis est alius, adeoque pro aliis terminis alius), ac si summa exprimatur per S., & quantitates BB', CB^2 communes singulis binarum summarum terminis ponantur extra signum summæ, habebitur $\frac{S.A \times AA'}{BB'} = \frac{S.(A \times CA^2)}{CB^2}$, sive $CB = \frac{BB' \times S.(A \times CA^2)}{CB \times S.(A \times AA')}$. Porro si summa omnium massarum A dicatur M; productum ex M, & distantia MM' æquatur summæ productorum omnium e singulis massis A ductis in suas distantias AA', adeoque est $S.(A \times AA') = M \times MM'$. Quare habebitur $CB = \frac{BB' \times S.(A \times CA^2)}{CB \times M \times MM'}$.

183. Hoc ostendit, in quavis recta ducta ex C haberi aliquod punctum B, quod habebit partem oscillationis B*b* eandem, quam ha-

haberet sine nexu cum aliis; sed si directio rectæ CB non congruat cum directione CM, id punctum in aliis positionibus penduli, nimirum in aliis partibus oscillationis erit aliud: nam manente $S.(A \times CA^2)$, & M, qui valores non pendent a loco totius systematis oscillantis, mutatur perpetuo MM', & $\frac{BB'}{CB}$, qui posterior est valor sinus anguli variabilis BCB'; adeoque mutabitur valor CB, nisi remaneat constans totus valor $\frac{BB'}{CB \times MM'}$. Hic valor erit constans solum in casu, in quo recta CB transeat per centrum commune gravitatis M. Eo casu erit CB : BB' :: CM : MM', adeoque $\frac{BB'}{CB \times MM'} = CM$, qui valor in tota oscillatione non mutatur, manente nimirum semper distantia CM centri gravitatis M a puncto suspensionis C.

184. Quare habebitur solum in recta CM transeunte per punctum suspensionis, & centrum gravitatis punctum quoddam B, quod oscillabit eodem modo, quo oscillaret sine nexu cum ullis massis, sive quo oscillaret, si omnes massæ essent compenetratæ in ipso. Ejus autem distantia CB a puncto suspensionis C, posito CM pro $\frac{BB'}{CB \times MM'}$, in formula finali num. 182 habebit pro valore $\frac{S.(A \times CA^2)}{M \times CM}$. Id erit centrum oscillationis commune. Si massæ non jaceant in eodem plano perpendiculari ad axem conversionis; describent singulæ arcus habentes pro centro diversa puncta C ipsius axis, æquales iis, quos describerent, si transferrentur per rectas parallelas eidem in planum ipsi perpendiculare transiens per centrum commune gravitatis, & acceleratio, ac retardatio massæ cujusvis A, & massæ conceptæ in puncto B fiet eodem modo; adeoque formula remanebit eadem, si pro distantiis CA, CM intelligantur distantiæ perpendiculares ab axe ipso. Hinc habebitur illud theorema I num. 105. *Si omnes æquales particulæ totius materiæ*, nimirum omnes massulæ A, *ducantur in quadrata suarum distantiarum ab axe conversionis*, nimirum in suos valores CA^2,

CA^2, *ac summa omnium ejusmodi productorum*, nimirum S.(A $\times CA^2$), *dividatur per productum ex summa omnium particularum*, *& distantia centri gravitatis communis ab eodem axe*, nimirum per $M \times CM$; *quotus erit distantia centri oscillationis communis ab eodem axe*, nimirum CB.

185. Ut ex hoc theoremate deducantur centra oscillationis diversarum figurarum; oportet invenire summam productorum e singulis earum particulis ductis in quadrata suarum distantiarum ab axe conversionis: nam locus centri gravitatis figurarum regularium, quibus hìc indigebimus, est satis notus, adeoque & ejus distantia ab axe conversionis. Id facile præstabitur per prima elementa simplicia calculi integralis nota omnibus Tyronibus. Incipiemus a recta linea CD (fig. 22) suspensa per punctum C. Sit $CD = a, CA = x, Aa = dx$. Erit $Aa \times CA^2 = x^2 dx$, cujus integrale $\frac{1}{3}x^3$ pro CA, adeoque pro $CD = \frac{1}{3}a^3$. Summa particularum erit a, centrum gravitatis in medio, adeoque ejus distantia a puncto $C = \frac{1}{2}a$: horum productum $\frac{1}{2}a^2$. Dividendo $\frac{2}{3}a^3$ per $\frac{1}{2}a^2$, obtinetur $\frac{2}{3}a$, quod adhibuimus num. 110.

186. Sit jam recta EDF (fig. 23), quam secet bifariam, & ad angulos rectos recta CD; pertineat autem C ad axem perpendicularem plano ECF, & ponatur $CD = a, DA = y, EF = 2b$. Erit $Aa = dy, CA^2 = a^2 + y^2$; $Aa \times CA^2 = a^2 dy + y^2 dy$, cujus integrale $a^2 y + \frac{1}{3}y^3$ erit summa pertinens ad DA, & $a^2 b + \frac{1}{3}b^3$ summa pertinens ad DF, $2a^2 b + \frac{2}{3}b^3$ summa pertinens ad totam rectam EF, cujus si quæratur centrum oscillationis, oportebit dividere eum valorem per $2ab$ productum distantiæ centri gravitatis $= a$, & valoris rectæ $2b$; unde orietur $a + \frac{b^2}{3a}$. Sed hìc utemur summâ productorum pertinentium ad ipsam ad habendam summam eorum, quæ pertinent ad rectangulum, & prisma.

187. Sit (fig. 24) rectangulum GKLH, quod debeat oscillare circa axem perpendicularem ejus plano transeuntem per punctum C positum in medio latere GH. Recta CI parallela lateribus GK, HL secabit ad angulos rectos, & bifariam tam latus KL in I, quam omnes rectas EF, *ef* ipsi parallelas in D, *d*. Fiat $CD =$

x, Dd

x, $Dd = dx$, $CH = DF = b$. Ponendo in formula superiore x pro a, erit summa pertinens ad rectam $EF = 2bx^2 + \frac{2}{3}b^3$. Quare summa pertinens ad rectangulum $EcfF$ erit $2bx^2dx + \frac{2}{3}b^3dx$. Ejus integrale $\frac{2}{3}bx^3 + \frac{2}{3}b^3x$, exhibebit summam pertinentem ad GEFH; & si tota longitudo CI dicatur c; summa pertinens ad totum rectangulum GKLH erit $\frac{2}{3}bc^3 + \frac{2}{3}b^3c$.

188. Summa omnium particularum ipsius est $2bc$, centrum gravitatis in medio, adeoque ejus distantia a puncto $C = \frac{1}{2}c$, factum ex hisce binis terminis bc^2, per quod diviso valore $\frac{2}{3}bc^3 + \frac{2}{3}b^3c$, obtinetur $\frac{2}{3}c + \frac{2b^2}{3c}$. Idem autem obveniet, si loco simplicis rectanguli GKLH haberetur prisma rectangulare, cujus sectio esset GL, & longitudo parallela axi: nam ad habendam summam particularum ductarum in quadrata distantiarum ab axe valor $\frac{2}{3}bc^3 + \frac{2}{3}b^3c$ ducendus esset in eam longitudinem, & ad habendam summam earundem ductam in distantiam centri gravitatis, ducendus esset valor bc^2 in ipsam longitudinem, quæ per divisionem elisa reliquisset eundem valorem $\frac{2}{3}c + \frac{2b^2}{3c}$. Id adhibitum est num. 111. Est hìc c, quod ibi FB, & hìc b, quod ibi KB.

189. Quod si habeatur (fig. 25) triangulum isosceles KCL, cujus basim KL altitudo CI secet bifariam, & ponatur $CI = c$, $IK = IL = b$, $CD = x$, erit $CI = c : IL = b :: CD = x : DF = \frac{bx}{c}$. Hoc valore posito pro b in formula $2a^2b + \frac{2}{3}b^3$ numeri 186, & x pro a, habebitur summa pertinens ad rectam $EF = \frac{2bx^3}{c} + \frac{2b^3x^3}{3c^3}$, adeoque summa strati $EcfF = \frac{2bx^3dx}{c} + \frac{2b^3x^3dx}{3c^3}$: hujus integrale est $= \frac{bx^4}{2c} + \frac{b^3x^4}{6c^3}$. Posito toto valore c pro x, habetur $\frac{1}{2}bc^3 + \frac{1}{6}b^3c$. Summa particularum totius trianguli est bc: distantia centri gravitatis in triangulo a vertice C $= \frac{2}{3}CI = \frac{2}{3}c$: horum productum $\frac{2}{3}bc^2$. Dividendo $\frac{1}{2}bc^3 + \frac{1}{6}b^3c$ per hunc valorem, habetur $\frac{3}{4}c + \frac{b^2}{4c}$, quod eodem modo

applicatur prismati habenti longitudinem quamcumque parallelam axi. Id adhibitum est num. 112, ubi est FB altitudo, quæ hìc est c, & KB dimidia basis, quæ hìc est b.

190. Sit (fig. 26) recta CD perpendicularis plano circuli GNHM, cujus centrum D, diametri NM, GH sibi invicem perpendiculares, axis conversionis PQ parallelus priori, chordæ ED'F, edf parallelæ posteriori, adeoque sectæ ad angulos rectos, & bifariam in D', d: sit autem D'C' parallela DC, cui erit etiam æqualis in parallelogrammo CC'D'D. Fiat $CD = C'D' = a$, $DD' = x$, $D'F = y$, $DM = b$, $HF = z$, $Ff = dz$, qui valor est $\frac{bdx}{y}$, cum in circulo sit cosinus D'F arcus $HF = y$ ad radium $= b$, ut differentia sinus $Dd = dx$ ad differentiam arcus $dz = \frac{bdx}{y}$. Erit $FC'^2 = a^2 + y^2$, adeoque summa productorum $FC^2 \times Ff = S.a^2dz + S.y^2dz$. Erit $S.a^2dz = a^2z$, & ponendo $\frac{bdx}{y}$ pro dz in secundo termino y^2dz habetur $bydx$. Porro ydx est areola D'dfF, adeoque $S.y^2dz$ erit productum ex b, & area DD'FH. Puncto F abeunte in M, arcus $HF = z$ evadit $=$ HM quadrans peripheriæ, & area DHFD' evadit quadrans areæ circuli $= \frac{1}{2}DM \times HFM$. Si autem ponatur 1 ad c ratio radii circuli ad circumferentiam, evadit $HFM = \frac{1}{4}cb$, & summa pertinens ad quadrantem peripheriæ $HFM = \frac{1}{4}ca^2b + \frac{1}{8}cb^3$. Hinc summa pertinens ad totam peripheriam $= ca^2b + \frac{1}{2}cb^3$.

191. Concipiantur jam circuli, quorum radii $DD' = x$, $Dd = x + dx$: habebitur summa pertinens ad aream prioris ponendo x pro b, & pro annulo genito a D'd eadem erit ducenda in dx. Quare pro annulo habebitur $ca^2xdx + \frac{1}{2}cx^3dx$. Ejus integrale erit $\frac{1}{2}ca^2x^2 + \frac{1}{8}cx^4$. Crescente $DD' = x$ usque ad radium $DM = b$, erit summa pertinens ad totum planum circuli $= \frac{1}{2}ca^2b^2 + \frac{1}{8}cb^4$. Ejus circuli area est $\frac{1}{2}cb^2$, & centrum gravitatis in D, adeoque ejus distantia ab axe $= a$, & productum ex area in hanc distantiam $= \frac{1}{2}cab^2$. Diviso priore valore per hunc, remanet distantia

cen-

centri oscillationis ab axe $= a + \frac{b^2}{4a}$. Id adhibitum est num. 109: nam remanet id centrum infra centrum circuli per $\frac{b^2}{4a}$.

192. Si habeatur cylindrus, cujus axis CD, basis æqualis ei circulo; concipiantur binæ ejus sectiones per puncta axis V, u, quæ erunt itidem circuli eodem radio $= b$, & fiat CV $= u$: pro priore circulo ponendo u pro a habebitur $\frac{1}{2}cb^2u^2 + \frac{1}{8}cb^4$; & pro strato, cujus altitudo V$u = du$ fiet $\frac{1}{2}cb^2u^2du + \frac{1}{8}cb^4du$, cujus integrale $\frac{1}{6}cb^2u^3 + \frac{1}{8}cb^4u$. Quare pro toto cylindro ponendo a pro u erit summa $\frac{1}{6}cb^2a^3 + \frac{1}{8}cb^4a$. Centrum gravitatis existens in medio axe cylindri distat ab axe conversionis per $\frac{1}{2}a$, & ejus solidum est $= \frac{1}{3}cb^2a$, quorum productum $\frac{1}{4}cb^2a^2$. Diviso illo valore per hunc, obtinetur $\frac{3}{8}a + \frac{b^2}{2a}$. Hic esset valor pro filo, si id consideraretur ut cylindrus. Sed ob tenuitatem summam evanescente radio sectionis b præ longitudine fili a, omisso secundo termino, relinquitur $\frac{3}{8}a$, quod congruit cum eo, quod habetur num. 185 de recta, & applicatur filo habito pro simplici recta.

193. Remanet id, quod pertinet ad sphæram, & positum est primo loco num. 108: id deducemus considerato in fig. 27 circulo EMFN, cujus planum sit perpendiculare axi conversionis. Sit DC distantia perpendicularis ipsius ab eodem axe, quæ occurrat ejus peripheriæ in M, N, ac sit diameter GDH, & chorda EF perpendicularis diametro MN, quæ secabit ipsam chordam bifariam in D', ac fiat CD $= a$, DM $= b$, DD' $= x$, D'F $= y$, HF $= z$, omnia ut prius. Erit $CF^2 = CD^2 + DF^2 - 2CD \times DD' = a^2 + b^2 - 2ax$; $Ff \times CF^2 = a^2dz + b^2dz - 2axdz$. Priorum binorum terminorum summa est $a^2z + b^2z$: postremus evadit $2abdy$; nam in circulo est itidem $dz = -\frac{bdy}{x}$ (*), adeoque e-

(*) Id fluit etiam e valore $dz = \frac{bdx}{y}$ (num. 190). Cum enim sit $x^2 + y^2 = b^2$, est $2xdx + 2ydy = 0$, adeoque $-\frac{dy}{x} = \frac{dx}{y}$.

jus integrale $2aby$. Abeunte F in M, & N, hic terminus evanescit facto $y = 0$, & pro dimidia peripheria MHN habetur $z = \frac{1}{2}cb$, adeoque summa pro ipsa $\frac{1}{2}ca^2b + \frac{1}{2}cb^3$, & pro tota peripheria $ca^2b + cb^3$. Hinc si concipiantur circuli, quorum radii DD', Dd, posito x pro b, & ducendo in dx, erit summa pro annulo D'd $= ca^2xdx + cx^3dx$, cujus integrale $\frac{1}{2}ca^2x^2 + \frac{1}{4}cx^4$, posito iterum b pro x, erit $\frac{1}{2}ca^2b^2 + \frac{1}{4}cb^4$.

194. Si quæreretur pro ipso distantia centri oscillationis, dividendus esset hic valor per ejus aream $\frac{1}{2}cb^2$ cum distantia DC centri gravitatis D ab axe $= a$: obveniret $a + \frac{b^2}{2a}$. Sed ut procedatur ad sphæram, sit MGNH (fig. 28) sectio sphæræ facta per axem PQ, & centrum D cum distantia DC, diametro MN, chordis FE, fe perpendicularibus ad axem, & diametro GH ipsi axi parallela, quæ secabit bifariam in D' ad angulos rectos chordam FE. Chordâ ipsâ productâ usque ad axem in C', ponatur CD $=$ C'D' $= a$, DM $= r$, DD' $= x$, D'E $= y$. Pro circulo EDF habebitur summa ponendo in formula numeri superioris y pro b, adeoque erit $\frac{1}{2}ca^2y^2 + \frac{1}{4}cy^4$, & pro strato EF$fe$ $\frac{1}{2}ca^2y^2dx + \frac{1}{4}cy^4dx$.

195. Cum sit $y^2 = r^2 - x^2$, & $y^4 = r^4 - 2r^2x^2 + x^4$, habebuntur quinque termini $\frac{1}{2}ca^2r^2dx - \frac{1}{2}ca^2x^2dx + \frac{1}{4}cr^4dx - \frac{1}{2}cr^2x^2dx + \frac{1}{4}cx^4dx$, quorum integrale $\frac{1}{2}ca^2r^2x - \frac{1}{6}ca^2x^3 + \frac{1}{4}cr^4x - \frac{1}{6}cr^2x^3 + \frac{1}{20}cx^5$. Habebitur valor pro altero hemisphærio ponendo r pro x, & pro tota sphæra duplicando, adeoque erit $ca^2r^3 - \frac{1}{3}ca^2r^3 + \frac{1}{2}cr^5 - \frac{1}{3}cr^5 + \frac{1}{10}cr^5$. Est $1 - \frac{1}{3} = \frac{2}{3}$, & $\frac{1}{2} - \frac{1}{3} + \frac{1}{10} = \frac{15-10+3}{30} = \frac{8}{30} = \frac{4}{15}$. Quare summa evadit $\frac{2}{3}ca^2r^3 + \frac{4}{15}cr^5$. Superficies globi quadrupla circuli, cujus radius $= r$ est $2cr^2$, quæ ducta in $\frac{1}{3}r$ exhibet globum ipsum $\frac{2}{3}cr^3$: hic ductus in distantiam sui centri ab axe $= a$, evadit $\frac{2}{3}car^3$. Diviso valore præcedente per hunc, obtinetur $a + \frac{2r^2}{5a}$. Id adhibitum est num. 108.

196. Hoc pacto habetur demonstratio eorum omnium, quæ in toto

toto Opusculo sunt adhibita. Inde facile erui poterunt quæcunque pertinent ad paranda instrumenta, instituendam observationem, & ineundum calculum numericum pro obtinenda, quam fieri potest accuratissime, mensura quæsita penduli oscillantis ad singula secunda temporis medii, quibus accedunt, quæ pertinent ad ejusdem observationis usum.

APPENDIX

INSTRUCTIO PRACTICA.

§. I.

De instrumentis præparandis.

1. PRÆPARETUR globus habens diametrum circiter duorum pollicum bene sphæricus e metallo bene compacto: magnitudo est arbitraria.

2. Pro mensura diametri globi paretur instrumentum figuræ 1 (Tab. V) simile micrometris astronomicis, cujus cochlea sit accuratissime æquabilis: habeat cursorem figuræ 2, & plura paria cuneorum figuræ 3, vel cochleas, ope quarum possit nonnihil elevari, vel deprimi. Cochlea futura usui in fig. 7 potest adhiberi eadem etiam in fig. 1, rite ipsi applicata.

3. Præparetur filum, vel metallicum crassius, vel metallicum tenue, vel sericum.

4. In primo casu habeantur in globo bina foramina, e diametro opposita, quibus id filum metallicum intrudi possit: tum machinula figuræ 4, & 11, ac acies oblonga figuræ 14 (Tab. VI).

5. In secundo casu filum tenue habeat longitudinem paullo minorem duplo distantiæ adhibendæ puncti suspensionis a globo, quod possit in binis suis capitibus adnecti filis sericis tenuibus maxime flexilibus.

6. In tertio filum sericum sit tenue, quam fieri potest maxime, dummodo possit sustinere pondus globi.

7. Pro

7. Pro secundo, & tertio paretur circulus exiguus, qui habeat e centro prodiens filum sericum, quem exhibet figura 5 (Tab. V), vel filum sericum, quod ambiat globum methodo expressa in fig. 6.

8. Pro suspensione paretur machina, quam exhibet figura 7. Fulcrum exhibet figura 8: tubum metallicum quadratum figura 9, parallelepipedum ipsi intrudendum figura 10, in quo haberi debet foramen cochleatum ad excipiendam cochleam.

46. Sphère parallèle: ses phénomènes: on y voit toujours la même moitié du ciel: jour & nuit de six mois: deux crépuscules de 50 jours chacun.

47. Sphère inclinée: ses phénomènes: élévation d'un pôle, dépression de l'autre: latitude par-tout égale à la hauteur du pôle, & à la distance du zénith à l'équateur: manière de la trouver par la hauteur méridienne d'un astre.

48. L'égalité générale des jours & des nuits dans les équinoxes: inégalité des arcs diurnes & nocturnes hors de l'équateur.

49. Inégalité des jours & nuits d'autant plus grande qu'on s'éloigne de l'équateur: les jours les plus longs & les plus courts dans les solstices: jour continuel de plusieurs jours au de-là du cercle polaire: la même chose pour la nuit: climats déterminés par la durée du jour le plus long: trente par hémisphère.

50. Cause générale de la différence de la chaleur par rapport au climat, & à la différence des saisons: notre avantage sur l'hémisphère austral: excéptions tirées des constitutions locales.

51. Cercles du globe céleste: équateur, écliptique, tropiques, polaires, colures, cercles de déclinaison, & de latitude, parallèles à l'écliptique, & à l'équateur: méridien, & horizon: figures des constellations avec leurs fixes: petite correction pour la précession des équinoxes, & pour le changement de l'équateur: solution des problêmes par son usage faite en gros.

52. Plusieurs de ces problêmes: méthode pour trouver l'ascen-

sion droite, & la déclinaison dans le globe céleste, & sur le terrestre la longitude, & la latitude des lieux : pour voir quelles sont les fixes toujours, ou jamais visibles : l'amplitude des autres, l'arc demi-diurne, demi-nocturne, le temps du lever, & du coucher du soleil, du lever, de l'arrivée au méridien, du coucher des fixes : jours des mois, qui répondent au degré de l'écliptique pour le soleil : usage du petit cercle au pôle pour les heures.

53. Origine de l'année bissextile : réforme du calendrier par Grégoire XIII : différence du vieux au nouveau style.

§. III.

Des mouvements vrais des astres, & de leurs causes physiques.

54. GRANDE étendue de cet objet : il n'est pas nécessaire pour un Marin : il est bon d'en avoir une idée.

55. Première idée du mouvement véritable diurne des astres ; couches des planètes emportées par le premier mobile : leur mouvement propre contraire : cercle excentrique : ligne des apsides, périgée, apogée : anomalies vraie & moyenne.

56. Épycicle ajouté : système de Ptolomée : phénomènes contraires aux hypothèses : multiplication des cercles : bon mot du Roi Alphonse sur la complication des hypothèses.

57. Vrai système reconnu par plusieurs des Anciens : du mouvement diurne & annuel de la terre accompagnée de la lune : orbites des planètes autour du soleil : système de Copernic : terre immobile : la lune & le soleil autour d'elle, les orbites des cinq autres planètes autour du soleil transportées avec lui.

58. Les deux systêmes équivalents pour expliquer les phénomènes, la propagation successive de la lumière à part : celui de Tycho, insoutenable si l'on n'adopte une hypothèse possible, mais infiniment improbable.

59. Tourbillons des Descartes arbitraires & contraires aux causes physiques démontrés faux par la liberté du mouvement des co-

comètes : gravité de Newton conforme à tous les phénomènes : sa théorie occasionnée par la découverte de Kepler.

60. Découvertes précédentes sur le mouvement moyen autour d'un point placé au de-là du centre de l'excentrique : découverte de Kepler de l'orbite de Mars elliptique avec le soleil dans un foyer, transportée aux autres planètes.

61. Seconde loi de Kepler, les aires décrites par le rayon vecteur proportionnelles au temps : ses idées sur les causes physiques très-mauvaises.

62. Troisième loi de Kepler, le quarré des temps comme les cubes de distances.

63. Découverte de Newton, que toutes ses loix sont une suite nécessaire d'une seule loi de gravité : les comètes assujetties à cette loi, qui est réciproque du quarré des distances : la même loi trouvée générale & mutuelle pour toutes les parties de la matière : grande quantité de phénomènes déterminés en détail par son moyen.

64. Progrès que les grands Géomètres ont faits à l'aide de cette clef du ciel pour calculer mille petites inégalités : irrégularités de la lune réduites en des bonnes tables à l'aide de la gravité générale.

65. Vrai système du monde : rien d'immobile, si ce n'est le centre commun de gravité, point imaginaire : l'immobilité du soleil imaginée pour la facilité du calcul : son mouvement autour de son axe, mouvement des planètes autour de lui : inclinaison des orbites : ligne des nœuds, ligne des apsides, aphélie, périhélie, anomalies vraie & moyenne, équation : petit changement dans les nœuds & aphélies : mouvement des comètes & des satellites analogue.

66. Orbite autour du soleil décrite par le centre commun de gravité de la terre & de la lune : changements dans l'orbite de la lune : complication de ses inégalités.

67. Sept éléments pour chaque planète : indication d'une méthode pour les déterminer, pour en tirer les lieux héliocentriques, & passer de-là aux géocentriques, pour calculer les mouve-

vements & les éclipses des satellites & des fixes : calcul déjà fait pour les Marins dans la Connoissance des temps & le *nautical almanach*.

68. Distance & grandeur respective & absolue des planètes en gros.

§. IV.

Du rapport de l' Astronomie avec la Marine.

69. TROIS objets du rapport, direction de la route, latitude, & longitude géographique du vaisseau.

70. Ancienne méthode grossière pour diriger la route : avantage de la boussole : nécessité de sa correction par le moyen de l' Astronomie à cause de la déclinaison de l' aimant inconstante.

71. Compas de route, & compas de variation ; usage de tous les deux, du second pour trouver la déclinaison de l' aimant, du premier pour diriger le vaisseau.

72. Méthode pour avoir la déclinaison cherchée à l' aide de l' amplitude calculée par un triangle sphérique : correction de l' effet de la réfraction : sa petitesse : autre méthode pour l' azimut tiré d' une hauteur observée à l' aide d' un autre triangle sphérique : corrections de la hauteur.

73. Ce qu' emprunte ce premier objet de l' Astronomie pour la théorie, & pour la pratique : les éléments des opérations dans la Connoissance des temps : diamètre du soleil nécessaire & pourquoi.

74. Second objet, la latitude : méthode la plus simple pour la trouver par l' observation de la hauteur méridienne d' un astre connu : manière de s' en servir dans différents cas, soit vers le sud, soit vers le nord : petites corrections de la déclinaison des fixes nécessaires pour l' exactitude.

75. Troisième objet, la longitude : ancienne méthode par l' estime : son insuffisance, & pourquoi.

76. Effort inutile pour trouver la longitude par la variation du

du compas : son inconstance irrégulière cause de l' inutilité de la méthode.

77. Méthode, qui seule peut servir, de la différence de l' heure du vaisseau à l' heure d' un lieu connu : deux méthodes pour la seconde, la montre marine, ou un phénomène céleste.

78. Méthode pour trouver l' heure du vaisseau par les hauteurs correspondantes, ou par une seule hauteur d' un astre connu : précautions pour la première méthode, triangle sphérique pour la seconde.

79. De la première méthode pour l' heure d' un pays connu par le moyen d' une montre : précautions nécessaires : traité excellent sur tout cela du Chev.r Florieu.

80. De la seconde méthode : phénomènes à observer, quelques éclipses, & la position de la lune : exclusion des autres éclipses, à l' exception de celle du premier satellite de Jupiter ; leur rareté, & difficulté qui ont rendu la chaise marine inutile.

81. Les mouvements des astres inutiles par leur lenteur à l' exception de celui de la lune, qui employe deux seules minutes de temps pour chaque minute de degré. Les éclipses du soleil & des fixes faites par elle, trop rares & trop difficiles à calculer : ses distances au soleil & aux fixes seul moyen qui reste.

82. Deux grandes difficultés du côté de la pratique & de la théorie : la première ôtée par l' octant à réflexion, la seconde par les distances calculées de trois en trois heures & imprimée dans la Connoissance des temps.

83. Difficultés qu' il falloit surmonter pour faire le calcul des lieux de la lune : ce qu' on emprunte de l' Astronomie pour cet objet, & pour réduire la distance apparente, en la corrigeant par la réfraction & la parallaxe.

84. Ces deux éléments dépendants des hauteurs : méthode de les trouver par la théorie pour le moment de l' observation très-difficile : meilleur parti de l' observer immédiatement : méthode de faire la correction 1°. par deux triangles sphériques ; 2°. par des formules trigonométriques ; 3°. par le grand Volume des tables imprimé exprès à Londres.

85. Ma-

85. Manière de trouver l' heure de Paris d' après la distance, corrigée par la méthode des différences proportionnelles.

§. V.

Des instruments.

86. TROIS espèces d' instruments astronomiques, pour aider la vue, mesurer le temps, mesurer les angles.

87. Pour le premier objet les télescopes & les lunettes, surtout les acromatiques : nécessité d' en bien connoître la nature : détail de vérification des instruments impraticable dans un abrégé aussi court, à voir dans l' Astronomie de M. de La-Lande.

88. Pour le temps, une montre, une horloge ou une pendule : sur la terre les pendules à correction de la chaleur, sur la mer les montres marines.

89. Instrument des passages : position de ses axes : méthode indiquée pour la vérifier : sa grande utilité.

90. Son demi-cercle pour les distances au zénith appartenant à la troisème espèce.

91. Quart de cercle mural : sa position : sa destination pour le passage au méridien, & les hauteurs méridiennes : utilité beaucoup plus grande de l' instrument tout à-la-fois azimutal & vertical.

92. Quart de cercle mobile : deux manières de l' employer ayant la lunette attachée à son côté, ou mobile sur une alidade : sextant : secteurs de différentes espèces.

93. Machine parallatique avec deux index pour la déclinaison & l' ascension droite : son usage pour trouver les astres, les suivre, & les comparer.

94. Différentes espèces de micromètres avec des lames, ou des fils fixes ou mobiles : micromètre objectif : sa construction, & son usage.

95. Impossibilité de se servir des autres dans le vaisseau : difficulté d' y employer ce dernier : quart de cercle, pendules, télescopes utiles aux Marins pour déterminer la longitude & latitude

en

en débarquant : instrument des passages portatif très-utile pour les longitudes du lieu du débarquement.

96. Octant à réflexion utile & nécessaire pour observer sur mer : sa description.

97. Son usage pour les distances angulaires, & pour les hauteurs : deux manières de s' en servir par devant & par derrière.

98. Méthode de s' en servir pour les distances : verres noircis pour le soleil.

99. Méthode pour les hauteurs : ce qu' on fait quand l' horizon est caché par devant : avantage d' observer la hauteur par devant & par derrière à-la-fois.

100. Supplément de l' horizon caché des deux côtés : horizon artificiel, de la surface de l' eau, ou d' un miroir bien suspendu.

101. Nécessité de la vérification de l' instrument par des méthodes publiées, & de l' exercice pour le manier.

102. Compas de variation & de route : ce qu' ils sont & leurs usages.

OPUSCULUM V.

METHODUS DETERMINANDI ACCURATISSIME ALTITUDINEM POLI OPE GNOMONIS SUPPLENDO INSTRUMENTA AD ID OPPORTUNA, UBI DESINT.

1. HANC methodum ego adhibui anno 1773 Venetiis in exigua specula domus Jesuiticæ, ubi tum diversabar ut hospes, paullo ante Societatis suppressionem. Carebat ea specula instrumentis idoneis: habebat nonnulla telescopia dioptrica non acromatica, quadrantem mobilem metallicum pedum circiter trium male divisum, horologium oscillatorium mediocre, & lineam meridianam tantummodo filarem, quæ per altitudines correspondentes captas etiam ope quadrantis male divisi, & horologii mediocris duci potest satis accurata, & si ducta sit, ut erat ibi, ad trutinam revocari, quod ea occasione diligenter est præstitum. Transmittebatur solis radius per foramen excavatum in lamina metallica de more satis firmiter collocata: filum cum pondusculo demitti poterat in pedem gnomonis parum admodum distantem a pariete obverso ad meridiem; sed ea lamina loco positionis horizontalis posita fuerat cum inclinatione graduum 45, quæ ibi est proxime altitudo poli: id nonnulli perperam efficiunt, ut radius progressus e centro disci solaris sit perpendicularis plano laminæ, quod ipsum non obtinetur, nisi pro æquinoctiis, & nullius est usus pro determinando commodius appulsu imaginis solaris ad lineam meridianam, reddit autem multo magis complicatam determinationem tangentium, per quas debent determinari distantiæ a zenith puncti summi, & imi disci solaris, ob diversam distantiam punctorum extremorum foraminis a plano horizontali, in quo eæ tangentes debent determinari in directione lineæ meridianæ transeuntis per pedem gnomonis. Id ibi fuerat præstitum, & habenda fuit ratio ejus inclinationis, uti est habita, quod patebit inferius.

2. Sit

2. Sit in fig. 1 (Tab. VIII) L'L lamina inclinata ad angulum semirectum cum foramine, cujus punctum infimum A, summum A'. Radius digressus e puncto supremo disci solaris deveniat per rectam SA ad lineam meridianam BM in F, & radius digressus ex ipsius puncto infimo per rectam S'A' ad eandem lineam in F': sint autem rectæ AB, A'B' perpendiculares eidem lineæ meridianæ. Patet, angulum BAF, cujus tangens est $= \frac{BF}{AB}$, fore æqualem distantiæ apparenti puncti supremi ejus disci a zenith, & angulum B'A'F', cujus tangens est $= \frac{B'F'}{A'B'}$, distantiæ puncti infimi, quorum angulorum semisumma exhibebit distantiam apparentem centri ab ipso zenith. Hæc correcta a refractione, quæ ipsum elevat, & a parallaxi, quæ ipsum deprimit, exhibebit distantiam veram: adjectâ huic declinatione, si ea fuerit borealis, vel detractâ, si fuerit australis, obtinetur distantia ejusdem zenith ab æquatore, quæ est æqualis quæsitæ altitudini poli: meæ observationes institutæ sunt mense Aprili, quo tempore declinatio est borealis, quæ idcirco addenda fuit distantiæ centri a zenith. Ostendendum est, quo pacto definitæ fuerint determinatione admodum accuratâ distantiæ verticales AB, A'B', & rectæ horizontales BF, B'F', ad habendos satis exactos angulos BAF, B'A'F', quibus habitis obtinetur mensura quæsita, cum refractio, parallaxis, declinatio, aliunde innotescant, quæ singula hìc producam.

3. Prima difficultas occurrebat in determinatione lineæ meridianæ BM. Ea ibi non aderat, ut monui, nisi filaris, capitibus affixis ad oppositos parietes, & pavimento nec æquali, nec satis firmo ad eam habendam perpetuam: filaris potest exhibere admodum accurate momentum meridiei, sed ejus unius ope haberi non possunt tangentes distantiarum a zenith. Supplevi tigillo, cujus faciem superiorem curavi complanandam, quantum per communes fabros lignarios plana superficies poterat obtineri: altitudo laminæ habentis foramen erat elevata supra pavimentum paullo minus pedibus Parisiensibus duodecim, distantia autem radii in plano ho-

rizontali a pede gnomonis, sole jam multo minus remoto a zenith quam per gradus 45 ob declinationem Aprili mense borealem, nec exiguam, debebat evadere brevior ea altitudine: hinc satis fuisset ad habendam eam distantiam horizontalem tigillum brevius: sed curavi longius, ut posset ejus ope determinari ipsa altitudo laminæ comparanda cum distantia radii horizontali ad habendas tangentes quæsitas. Quo pacto id tigillum fuerit præparatum, & collocatum, apparebit utcumque in fig. 2, quæ tamen non exhibet nisi partem totius longitudinis cum dimensionibus multo majoribus quam in fig. 1, ut omnia melius exprimi, & explicari possint.

4. CDD'C' est ejus superficies superior horizontalis, rectæ EE', E'F pertinent ad superficiem inferiorem impositam pavimento: ea autem est brevior, secto per sectionem obliquam FH ejus capite, quod debebat collocari versus meridiem sub ipsa lamina LL' habente foramen, cujus pars infima limbi est A: habebatur in eodem capite apertura verticalis, cujus partem exsectam e superficie superiore exhibet IKK'I', per quam transire posset filum AB sustinens ponduſculum P, quod ibidem notatur punctulis, cum lateat infra superficiem C'I'K' post ipsam: sed id ipsum apparet melius in fig. 3, ubi habetur etiam vasculum Q, in quod plenum aqua, & insistens pavimento debuit immitti id ponduſculum ad operationes, quæ jam proponentur, ut nimirum remaneret quietum, impeditis ab ipsius aquæ resistentia exiguis oscillationibus, quas aliter minima etiam aeris agitatio induceret. Omissa est delineatio vasculi in fig. 2, cum ibi id etiam latere debeat post partem solidam tigilli K'I'C'H.

5. Tigillum ipsum collocatum est in directione lineæ meridianæ filaris, cujus positio explorata est per altitudines correspondentes, & redacta ad directionem accuratam: filum cum ponduſculo demissum e centro foraminis (*) erat parum distans a pariete

(*) Figura exprimit aliud, quod postea demissum est e puncto infimo A foraminis ipsius ad alium usum, ut patebit inferius. Ad hunc usum, cum non liceret accedere ad partem superiorem laminæ positæ sub tecto prope ipsius aper-

riete meridionali, cui erat affixus axiculus ferreus proxime horizontalis, & perpendicularis lineæ meridianæ proxime cognitæ, & huic advolutum filum meridianæ filaris ita, ut moveri posset non nihil in latus, & adduci ad contactum illius alterius fili pendentis e centro foraminis, dum alterum ejus caput eodem pacto erat advolutum alteri axiculo affixo parieti opposito in directione lineæ meridianæ ipsius. Ope eorum binorum motuum fili horizontalis in latus facile erat præbere ipsi directionem accuratam lineæ meridianæ radentis filum verticale. Nam ope altitudinum correspondentium facile erat invenire in ipsa superficie tigilli punctum, per quod debebat transire linea meridiana accurata. Satis enim erat applicare ipsi superficiei chartam cum plurlbus lineis inter se parallelis, & collocatis in directione proxime parallela lineæ meridianæ utcumque cognitæ, tum notare momenta appulsuum limbi utriusque imaginis solaris ad singulas ejusmodi lineas indicata ab horologio: e momentis intermediis inter binos appulsus eorundem limborum innotescit momentum appulsus centri imaginis ipsius ad ipsas lineas, adeoque cum ex altitudinibus correspondentibus innotescat momentum meridiei, innotescit, inter quas binas lineas ex iis parallelis consequenter positas cadebat centrum imaginis solaris, & ex intervallis momentorum temporis jam notatorum innotescit facile distantia ejusdem centri ab utravis ex iis lineis, ut a præcedente. Ea est quarta proportionalis post intervallum temporis elapsi inter appulsus centri ipsius ad illas binas rectas, intervallum inter momenta meridiei, & appulsus ad eam lineam, ac intervallum earundem linearum assumptum in scala quacumque particularum exiguarum.

6. Ea methodo uti soleo, ubi ducenda sit meridiana linea intra conclave, intra quod radius admitti debet transmissus per exiguum

aperturam parum admodum distantem ab ejus margine, adhibitus circellus e charta crassa (*carton*) proxime æqualis ipsi foramini, & agglutinatus superne ampliori frusto ejusdem chartæ crassæ: per illius centrum, & hoc frustum, traductum est filum tenue terminatum nodo, quo id retineretur: frustum ipsum applicatum est laminæ ita, ut circellus prominens aptaretur foramini, ac affixum eidem laminæ ope ceræ: ita ipsum filum prodibat inferne e centro foraminis, & sustinebat pondusculum.

guum foramen de more. Adhiberi possunt appulsus ad binas quasvis e lineis parallelis ductis in charta, nam exiguo tempore, quo imago solis transit per omnes illas lineas, motus imaginis solaris est ad sensum æquabilis, & perpendicularis directioni lineæ meridianæ: consensus plurium punctorum ita determinatorum confirmat determinationem ipsam: soleo autem ducere illas rectas in charta ad distantias inter se æquales, ut, inventâ distantiâ extremarum, facilius innotescant distantiæ inter binas quascumque: ad notandum autem punctum distantiæ centri a linea quavis exhibitæ ab illa quarta proportionali inventa, satis est nosse proxime, utut non accurate, punctum, per quod transit centrum imaginis per eam lineam, quod facile fit, notando punctum, in quo ipsam eadem imago contingit, quod est ad sensum idem pro utroque appulsu: id quidem nonnisi minus accurata æstimatione determinatur per immediatam observationem in contactu, in quo arcus aliquis apparet congruens cum ea ipsa linea: facile esset obtinere determinationem accuratiorem, notatis binis punctis cujusvis chordæ ellipseos exhibentis imaginem solarem sectam in ejus progressu ab illa recta linea; sed nullus error sensibilis committi potest in directione lineæ meridianæ ductæ per punctum determinatum in distantia perpendiculari ipsi lineæ assumpta a puncto contactus imaginis notato per illam utut minus accuratam æstimationem. Positio lineæ meridianæ eo pacto determinatæ facile deinde exploratur per altitudines correspondentes sequentium dierum. Quotiescumque ea methodo sum usus ad determinandam lineam meridianam, inveni semper diebus sequentibus summum consensum inter momentum appulsus centri imaginis ad ipsam deductum ex appulsibus binorum limborum, & momentum meridiei rite deductum ex altitudinibus correspondentibus.

7. Non erat necessaria in casu præsenti tanta accuratio pro determinanda positione lineæ meridianæ in superficie plana tigilli: ea adhibenda ibi erat tantummodo ad habendas illas distantias BF, B'F' figuræ 1, quæ exiguo intervallo temporis ante, & post meridiem non mutantur mutatione, quæ sub sensum cadat: adhuc tamen inter schedas tum conscriptas invenio, tribus diversis die-

diebus captas esse altitudines correspondentes, & meridianam filarem eo pacto determinatam inventam esse accuratam sine dissensu ne unius quidem secundi. Videndum, quid præstitum fuerit ad habendas per accuratissimam determinationem illas ipsas rectas BF, B'F' figuræ ejusdem.

8. In primis demissum est e margine infimo foraminis filum ABP figuræ 2, cum pondusculo P immisso in vasculum Q figuræ 3. Ad id obtinendum, frusto fasciolæ exsectæ e charta crassiore habentis latitudinem minorem diametro foraminis advolutum, & alligatum est illud filum, ac id frustum transmissum per ipsum foramen, & ope acus ipsum adducentis ad positionem transversam, & impellentis versus partem laminæ inferiorem adductum est punctum ejus lateris, ex quo filum pendebat, ad marginem imum foraminis ipsius, ubi cum is margo habeat directionem tangentis perpendicularis plano meridiani, nihil obest, si filum exeat e puncto marginis, quod sit non accurate, sed tantum proxime infimum.

9. E crassiore charta excidi formam, quam exhibet figura 3 in CDEFOG, cujus angulus CDE est rectus, recta GO parallela rectæ CD, rectæ CG, ED perpendiculares utrique, angulus GOF obtusus, & in productione lateris GO prope angulum O impressi aciculâ tenui punctum I. Hanc chartam imposui superficiei tigilli figuræ 2 CDD'C' ita, ut positio lateris ED ipsius chartæ esset parallela ductui lineæ meridianæ notatæ in eadem superficie, quam positionem notabat latus ED figuræ 3 congruens cum exiguo tractu rectæ parallelæ eidem meridianæ ducto in eadem tigilli superficie: tum, quiescente filo AP figuræ 2, adduxi sensim latus GO figuræ 3 motu parallelo indicato ab illo eodem tractu usque ad contactum cum filo AB figuræ 2 in B factum prope ipsum angulum O. Effeceram angulum GOF figuræ 3 obtusum, ne, dum admoveretur latus GO ad filum, exigua inclinatione chartæ latus OF in ipsum incurreret. Distantia fili a muro exigua reddebat incommodam determinationem contactus lateris GO: ad reddendum ipsum evidentiorem adhibui tenuem candelam RS, cujus flammula S projiciebat umbram BH satis sensibilem in superficiem char-

chartæ subobscuram ob viciniam anguli efformati a pavimento, & muro. Ante contactum lateris chartæ cum filo apparebat evidentissime distantia ipsius fili a sua umbra in B, qua evanescente in ipso contactu facto per accessum lentissimum sine motu impresso ipsi filo, determinabatur cum summa evidentia positio, quam in ipso contactu habebat charta: operatione repetita pluribus vicibus, & notata ea positione, ipsa inventa est semper accuratissime eadem. In ea positione affixa est charta ipsa superficiei tigilli ope ceræ.

10. Paratus fuerat circinus ejus speciei, cui dant in Italia nomen circini fidelis, adnexis firmiter regulæ ligneæ binis acubus ipsi perpendicularibus ita, ut earum cuspides distarent a se invicem accuratissime per trecentas particulas, quas habent in meo proportionis circino binæ lineæ partium æqualium: immissa cuspide alterius e binis acubus circini fidelis in tenue illud foramen I chartæ crassioris figuræ 3 applicatæ ad superficiem tigilli figuræ 2, & ipsi adnexæ, impressi cuspide alterius punctum notatum numero 1 in eadem superficie tigilli ad distantiam a linea meridiana ducta in ea ipsa superficie æqualem ad sensum exiguæ distantiæ punctorum I, B figuræ 3, cujus punctum B tum erat idem ac id punctum figuræ 2: tum translata cuspide acus primæ in punctum 1, impressi eodem pacto per cuspidem acus secundæ punctum 2 in distantia parili a linea meridiana eadem, & consequenter transtuli idem intervallum a puncto 2 ad 3, ab hoc ad 4, & ita porro usque ad numerum 20, quorum intervallorum figura 2 non exprimit nisi *6*, ne latitudo tabulæ figurarum nimis excrescat. Porro acubus satis firmiter adnexis regulæ, illa intervalla obveniunt ita accurate æqualia, ut nulla possit occurrere inæqualitas, quæ non sensum omnem prorsus effugiat. Prima acus applicata ad illud tenue foramen excavatum a secunda ita cadit in id ipsum, ut secunda succedat accuratissime in locum primæ. Deflexâ tantillum regulâ in prima positione ita, ut prima cuspide immissa in punctum I, impresso per secundam novo puncto 1 ad latus prioris ipsi proximo, quæ exigua obliquitas non minuit ad sensum intervallum consideratum secundum directionem lineæ

me-

meridianæ, & notatis eodem pacto punctis novis 3, 4, 5, &c. ad latus priorum, oritur nova punctorum series accuratissime respondens priori, quantum per sensus licet deprehendere, ut nullum, ne postremum quidem, procurrat quidquam ultra suum socium seriei prioris, nullum remaneat retro.

11. Ope hujus divisionis habitæ sunt primum accuratione summa elevationes AB, A'B' figuræ 1 sequenti methodo. Paratæ sunt binæ regulæ ligneæ satis crassæ, quas exhibet figura 4 in MN, & OP, longitudinis aliquanto majoris dimidia altitudine AB figuræ 1, quæ altitudo est eadem, ac expressa itidem per AB in fig. 2, sed multo brevior, quam quæ responderet crassitudini, & longitudini tigilli: harum regularum altera est applicata ad alteram eo modo, quem exprimit ipsa figura 4. Basis regulæ inferioris extremi P, quæ debebat imponi superficiei tigilli, complanata erat accurate ita, ut esset perpendicularis longitudini ipsius, adeoque insistens superficiei tigilli congrueret cum ea penitus tota. Regula superior habebat sibi adnexam cuspidem Q exsectam e lamina ferrea. Paratum est etiam exiguum parallelepipedum ligneum, quod exprimitur per AB in fig. 5, quæ itidem exhibet partem paullo longiorem ipsius tigilli: binæ facies ejus parallelepipedi complanatæ sunt cum accuratione summa, altera, quæ debebat imponi superficiei tigilli ejusdem, & cum ea accurate congruere, pro usu, quem mox proponemus; altera, quæ in ea ejus positione debebat habere latus ipsarum commune AB transiens per punctum 1, & perpendiculare lineæ meridianæ, ac respicere numeros sequentes: idcirco etiam in eadem tigilli superficie ducta erat per punctum 1 tenuis recta perpendicularis lineæ meridianæ.

12. Summoto filo figuræ 2, & charta illa crassiore figuræ 3, quæ fuerat adnexa ope ceræ superficiei tigilli, binæ regulæ figuræ 4, faciebus conjunctis ita, ut ambæ simul efficerent altitudinem paullo minorem altitudine puncti A figuræ 2, adductæ sunt ad caput CKK'C' tigilli ita, ut basis ima inferioris inniteretur ejus superficiei hinc, & inde ab apertura IKK'I', in ipso loco, per quem transierat filum, tum superior propulsa sensim sursum

ita, ut ipsarum superficies conjunctæ retinerent contactum accuratum, donec cuspis Q attingeret in A marginem imum foraminis. In ea positione respectiva regularum retento eodem contactu superficierum internarum per validam appressionem alterius regulæ ad alteram, eæ removebantur, & facies externa ejus, quæ fuerat inferior in fig. 4 latens ibi post O, applicabatur ad superficiem tigilli secundum directionem lineæ meridianæ cavendo, ne altera regula per eam excurreret, & curtaretur distantia PQ basis P a cuspide Q: impositum fuerat superficiei tigilli ipsius parallelepipedum AB, ut exhibet figura 5, ejus latere AB transeunte per punctum 1, & congruente cum linea illa recta perpendiculari lineæ meridianæ ducta, ut diximus, per id punctum, & retinebatur firmiter appressum ad ipsam tigilli superficiem, dum regulæ firmiter conjunctæ sensim promovebantur, donec cuspis Q figuræ 4 attingeret faciem verticalem parallelepipedi figuræ 5 erectam supra latus AB. Retentis in ea positione binis regulis conjunctis, parallelepipedum AB transferebatur ad partem oppositam regularum earundem, & adducebatur ad eam basim P regulæ inferioris, quæ in earum positione verticali fuerat horizontalis, & innixa superficiei tigilli, occupante latere basis ipsius parallelepipedi, quod fuerat in AB, positionem contrariam B'A', sed adhuc perpendicularem lineæ meridianæ, & in ipsa tigilli superficie ducebatur tenuis recta linea secundum ipsum latus B'A'.

13. Non exhibet figura 5 nisi solam basim ejus parallelepipedi collocati in secunda positione, ne ipsius elevatio tegat id ipsum latus: posita autem est ibi basis eadem post punctum numeri 8 ob figuram tigilli curtatam, expressâ tantummodo ejus parte, sed inventa est ejus positio post punctum numeri 19, a quo ad punctum numeri 1 habentur particulæ $300 \times 18 = 5400$. Hisce particulis addenda erat distantia puncti 19 a lineola B'A', quæ assumpta circino habente cuspides tenues, & translata in lineam partium æqualium ejusdem circini proportionis, ex quo assumptæ fuerant partes 300 pro intervallis punctorum, inventa est partium accurate 190 sine ullo sensibili residuo. Hinc tota distantia puncti 1 a lineola B'A' figuræ 5 evasit partium 5590. Hæc

ope-

operatio, quæ omnium maxime periculosa esse potest, ne nimirum in translatione regularum a positione illa verticali ad horizontalem aliquis exiguus oriatur motus ipsarum respectivus, ac ut contactus cuspidis cum imo margine A figuræ 2, & cum parallelepipedo figuræ 5 fiat accuratus sine impulsu, qui positionem respectivam earundem quidquam immutet, indigebat adjutore: habui egregium horum omnium & testem, & adjutorem Andream Comparettum, cujus etiam in Tomo I mentionem feci, & qui nunc, dum hoc Opusculum e veteribus schedis tum italico idiomate conscriptis in ordinem digero, & latinum reddo, in Patavina Universitate jam a pluribus annis est Publicus Medicinæ Professor. Pluribus vicibus hæc potissimum operatio repetita fuit cum diligentia summa, & semper cum eodem successu sine ullo sensibili discrimine inter distantias inventas, quamvis omnia suo loco dimoverentur, ipsa etiam respectiva positio regularum, adductâ novo excursu regulæ superioris per residuam altitudinem inferioris cuspide illius ad contactum cum margine foraminis A figuræ 2.

14. Ea est mensura rectæ AB figuræ 1, que esset eadem pro A'B', si lamina LL' fuisset collocata in positione horizontali, quæ est omnium maxime idonea, ut supra innui: cum ea habuerit inclinationem ad horizontem, oportet concipere in eadem fig. 1 rectam BD æque inclinatam occurrentem rectæ A'B' in D, & determinare particulam B'D addendam rectæ A'D = AB. Ea inclinatio erat, ut initio monui, graduum 45, quam satis est nosse per mensuram non ita multum abludentem a vera: manente enim diametro foraminis AA' = BD, mutatio exigua inclinationis mutat exiguas lineolas B'D, BB' mutatione exigua respectu ipsarum, adeoque prorsus insensibili: pro utraque præter inclinationem oportet nosse ipsam diametrum AA', cum ad habendas eas lineolas ducenda sit BD ipsi æqualis in sinum, & cosinum ejus inclinationis: opus est autem utrâque, priore quidem ad complendam mensuram altitudinis A'B', ut diximus, posteriore vero ad habendam rectam B'F' per detractionem lineolæ BB' a linea BF' invenienda inferius, ad quem usum etiam in casu laminæ LL' horizontalis invenienda est eadem diameter AA', cui tum est æ-

qualis lineola BB' detrahenda. Ad habendam mensuram accuratam ejus diametri in situ angusto prope parietem insistendo scalæ, nec manus cum circino commode admoveri poterat foramini, nec oculus: applicavi inferne frustum chartæ tenuis ad laminam sub ipsum foramen, ac leviter appressi pulpa digiti: impressus apparuit margo circularis ipsius foraminis, cujus mensuram semper eandem, operatione itidem pluribus vicibus repetita, habui particulas ejusdem circini accuratissime sex itidem sine residuo sensibili, cujus, si quid superfuisset, rationem habuissem, ut etiam superius in mensura distantiæ puncti 1 figuræ 5 a recta B'A', captis per æstimationem partibus decimis unius particulæ: sed utrobique nullum apparuit sensibile residuum. Cum triangulum (fig. 1) BB'D sit rectangulum isosceles, & $BD^2 = 36$, erit $B'D = BB' = \sqrt{18} = 4,2$, adeoque mensura quæsita $A'B' = 5594,2$.

15. Remanebat habenda mensura accurata rectarum BF, B'F' ad habendas tangentes $\frac{BF}{AB}$, & $\frac{B'F'}{A'B'}$ distantiarum a zenith BAF, B'A'F'. Puncta F, F' exhibita fuissent immediate a binis limbis imaginis solaris in ejus appulsu ad lineam meridianam, si superficies tigilli fuisset accuratissime plana, & ejus positio itidem accuratissime horizontalis: applicatio regulæ mediocris longitudinis ostendebat tractus mediocres ejusdem superficiei esse ad sensum planos, sed erat admodum probabile, haberi aliquam inæqualitatem in longo tractu tot pedum. Collocatum quidem fuerat tigillum ope communium instrumentorum in plano ad sensum horizontali, sed inclinatio exigua, insensibilis in tractu exiguo, debebat exigere correctionem aliquam earum linearum in eodem longo tractu. Si pro linea horizontali BM habita fuisset BN inclinata, ad quam advenerint radii AF, A'F' in G, G'; imago solis pro punctis F, F' exhibuisset ea puncta. Hinc si concipiantur rectæ verticales GI, G'I' usque ad horizontalem BM, habenda est ratio lineolarum FI, F'I', quæ erunt auferendæ a rectis BG, B'G', vel ipsis addendæ, prout puncta G, G' fuerint depressa infra rectam horizontalem BM, ut figura exhibet, vel elevata supra ipsam: possunt enim BG, BI, & BG', BI' assumi pro æqualibus inter se.

16.

16. Adhibui ad hanc investigationem eam methodum, quam adhibueram primo loco Mediolani pro examine plani quadrantis muralis, ut exposui in Opusculo II Tomi IV, quæ successu caruerat pro eo usu, ob compagem machinamenti quadrantis ipsius non satis firmam, variatione, mutatis fulcrorum locis, inductâ a nimio pondere, & cochlearum multitudine: verum eandem ibidem adhibueram cum optimo successu pro perquisitione hujus ipsius generis. In fig. 6 habetur canalis cum aqua, & cymbula L cum filo ferreo LVG ascendente per LV, incurvato in V, & descendente usque ad G prope superficiem tigilli figuræ 7, quod est idem ac in fig. 5. Hìc pro cymbula adhibui tantummodo frustum ligni satis crassum, & excavatum, quod oneravi globulis plumbeis, quibus apte dispositis, & hac illac translatis, facile id reducebatur ad servandum æquilibrium cum longiore illo filo ferreo in latus detorto. Ad continendum autem id cymbulæ genus in directione constanti, & impediendum accessum ad margines canalis oppositos, prope quos superficies aquæ incurvatur, & horizontalem positionem amittit, pro quatuor malis, & regulis horizontalibus suspensis per regulas verticales, quod machinamenti complicatioris genus videre est in tabula I illius ipsius Tomi IV, hìc usus sum methodo multo simpliciore, dispositis nimirum filis ferreis MN, M'N', OP, O'P' horizontalibus, & perpendicularibus longitudini canalis, quorum filorum cuspides proxime accederent ad ejus spondas oppositas.

17. In ipsa fig. 7 habetur is, quam in illo Opusculo appellavi cuneum micrometricum, cujus basis *abcd* est altior quam *efg*, in quo altero extremo is habet crassitudinem perquam exiguam: binæ facies *bcfe* superior, & *adg* inferior, bene complanatæ inclinationem habent mutuam, vi cujus, promotâ inferiore per superficiem tigilli, pervenitur ad contactum cum superficie superiore in G: ibi habetur distantia cuspidis, quæ in toto excursu cymbulæ remanet semper in eodem plano horizontali, a superficie tigilli in diversis ejus punctis, indicata a crassitudine, quam habet ipse cuneus in loco contactus, notata in margine *cf*.

18. Non habebam mecum cuneum illum meum micrometricum me-

metallicum, cujus descriptionem exhibui in illo Opusculo II Tomi IV: paravi ligneum, qui non desinebat in aciem acutam in *ef*, ut nec ille, quod in ejusmodi instrumento ligneo est magis necessarium, ne sit nimis fragile: adhuc tamen crassitudo finalis *fg* erat perquam exigua: ne fiderem lateribus prorsus accurate planis, quod non semper facile obtinetur, determinavi crassitudines sequenti pacto. Clauso meo circino proportionis, vidi facies internas latitudinales binorum crurum se accurate contingere, ut debebant, sine ullo intervallo, quod si adfuisset, non poterat latere transpicientem: assumpsi circino habente cuspides admodum acutas intervallum transversale inter duo extrema puncta linearum habentium divisionem in partes æquales notata ibi numeris 300, quod translatum in lineas ipsas inveni continere partes easdem accuratissime 18. Assumpsi eodem exiguo circino partes easdem 28, & ita dimovi a se invicem bina crura ejusdem circini proportionis, ut eadem illa puncta notata numeris 300 distarent a se invicem per hoc novum intervallum: hinc ibi facies illæ internæ latitudinales in ea apertura ejusdem circini habebant distantiam accuratam partium 10. Distantiæ earundem facierum lateralium in locis respondentibus numeris omnibus minoribus notatis secus eas divisiones earundem linearum debebant evadere accurate proportionales iisdem numeris ob illam accuratam congruentiam, quam eædem facies latitudinales habuerant clauso eo circino. Eo pacto habebatur scala per eas circini ejusdem aperturas indicatas ab iis numeris, quæ singulas e partibus longitudinalibus earundem linearum subdividebat in particulas 30, cum divideret denas in particulas 300. Sex pollices pedis Parisiensis, nimirum lineæ 72, continent tantillo plus quam 236 eas partes ejus mei circini, nimirum 7080 particulas ejus subdivisionis, adeoque singulæ lineæ pedis Parisiensis erant eo pacto subdivisæ in particulas fere 100.

19. Eæ particulæ reddebantur admodum sensibiles ope cunei. Is immissus in illam aperturam ejusdem circini proportionis retentam, adstrictis in ea positione ejus cruribus ita, ut eam mutare non possent, quod fit admodum facile, inter numeros indicatos

in

in lateribus eorundem crurum retinebatur, ubi ejus crassitudo deveniebat ad numerum illum ipsum particularum, qui notabatur in latere *cf* ejusdem cunei. Ita habitæ sunt in eo crassitudines particularum 50, 60, 70 &c., quarum divisionum figura exigua non exprimit nisi notatas numeris 100, 200, 300. Si facies cunei essent accurate planæ, intervalla divisionum respondentia differentiis numerorum æqualibus deberent esse prorsus æqualia: inveni æqualitatem multo magis accuratam, quam potuissem expectare, in ipsis intervallis majoribus partium 50: intervalla denorum adhuc satis ampla, nam singula continebant fere dimidium pollicem ob exiguam facierum inclinationem mutuam, subdivisa sunt in partes quinas per bissectionem: harum partes singulæ facile habebantur per æstimationem: eo pacto crassitudines cunei, nimirum distantiæ puncti G a superficie tigilli, agnoscebantur admodum evidenter usque ad partes centesimas unius lineæ pedis Parisiensis, quod efficit, ut jure optimo potuerim ei cuneo micrometrici nomen imponere.

20. Locus non permittebat admovere canalem & cymbulam usque ad locum puncti B figuræ 2, qui itidem erat vacuus ob illum hiatum: sed potui admovere usque ad dimidium intervallum puncti 1 a loco hiatus, per quem transierat filum demissum a puncto A, ubi inveni crassitudinem cunei in contactu cuspidis particularum 80, & eandem ad sensum ad punctum 1, & 2, ac in locis intermediis: repetitâ pluribus vicibus operatione, semper rediit crassitudo eadem particularum 80 cum differentiis perquam exiguis, & penitus contemnendis, & cum applicatio regulæ ostenderet illam partem tigilli accurate planam, ea eadem tuto haberi potest pro distantia cuspidis ab eodem plano in puncto B. Imago solis excepta est in meridie dierum 19, 20, & 21 Aprilis, ac incidit in superficiem tigilli prope numerum 12. Hinc adduxi cymbulam & cuspidem ad numeros 11, 12, 13, & ubique inveni particulas quamproxime 200. Quare ibi superficies erat itidem ad sensum horizontalis, sed inferior puncto B per particulas 120: is numerus dividendus est (num. 18) per 30, ut eæ particulæ reducantur ad partes lineæ longitudinalis, quod exhibet partes ejusmodi

modi accurate 4. Id est discrimen horizontalitatis utique exiguum pro distantia pedum circiter 14, cujus tamen habenda est ratio, id enim exhibet lineolas GI, G'I' figuræ 1, per quas inveniri debent lineolæ FI, F'I' demendæ a lineis BG, B'G', ad habendas BF, B'F'. Est nimirum in ipsa fig. 1 AB : BF :: GI : $FI = \frac{BF \times GI}{AB}$, ubi nullus error sensibilis committitur, si ad habendam quantitatem ita exiguam ponatur BG, quæ observatur immediate in superficie tigilli, pro BF, cujus differentia a BG cum sit tam exigua, error commissus in valore lineolæ exiguæ FI remanet perquam exiguus respectu ipsius, adeoque penitus contemnendus. Hinc poterit assumi $FI = \frac{BG \times GI}{AB}$, & eodem pacto $F'I' = \frac{B'G' \times G'I'}{A'B'}$, ubi etiam licebit pro A'B', & B'G' ponere AB, & BG' tam parum ab iis discrepantes, ac assumere $F'I' = \frac{BG' \times G'I'}{AB}$.

21. Pro determinandis rectis BG, B'G' figuræ 1, primâ ex illis tribus diebus usus sum sequenti methodo. Statim ac prope meridiem tota imago solis elliptica ascendit supra superficiem tigilli figuræ 2, adduxi ad singulos vertices ejus ellipseos singula latera singularum e binis schedis chartaceis, in quarum utraque habebatur recta linea perpendicularis suo lateri excurrens per totam ejus amplitudinem : schedâ ita positâ, ut ea recta efficeret continuationem lineæ meridianæ ejusdem tigilli, latus ipsum evadebat perpendiculare eidem : admota sunt ea schedarum latera ad illos vertices ita, ut limbum tangerent in situ æqualis vis luminis, quod in ejusmodi imagine sensim decrescit in ejus marginibus cum gradatione quadam efformante quoddam genus penumbræ, per quam a loco luminis excipiente radios transmissos per totam aream foraminis transitur ad locum, ad quem nullus radius advenit, advenientibus inter ea loca radiis transeuntibus per partem tantummodo areæ ejusdem eo minorem, quo is locus recedit magis a loco luminis pleni : tenuitas luminis in ipso ultimo margine,

ne, & lumen reflexum in conclavi nunquam satis obscuro impedit, ne perspici possit ipse margo extremus. Inter ea latera binarum schedarum incessit imago elliptica cum vi luminis ad sensum æquali in earum marginibus: in æstimanda æquali ea vi in iis marginibus, qui ambo simul oculis subsunt, error non committitur, nisi admodum exiguus. Sic eo die habita sunt puncta G, G' in concursu eorum laterum cum linea meridiana, quorum punctorum alterum tantummodo exprimit recta linea, quæ in fig. 2 habetur in G. Id quidem non sufficeret, si ea methodo quæreretur diameter solis apparens, cum locus ejus vis luminis ad sensum æqualis non sit is, ad quem devenit radius digressus e limbo, & transiens per marginem foraminis A, vel A'; verum inde satis accurate obtinentur tangentes pertinentes ad bina puncta disci æque distantia a centro, adeoque distantia apparens a zenith centri, quæ est media arithmetica inter binas eorum distantias.

22. Reliquis binis diebus ad eandem determinationem adhibui aliam methodum, quæ mihi visa est aptior: notavi plura puncta tenui cuspide in ipsa superficie tigilli in iis partibus binorum verticum imaginis ellipticæ, in quibus visa est mihi eadem quædam vis luminis, assumendo alternatim alterum in uno vertice, & alterum in altero: per ea puncta, quæ inventa sunt posita in directum, duxi binas rectas, a quibus vix ullum aberrabat hinc, & inde per crassitudinem suam perquam exiguam, quo pacto ea determinatio æquivalebat multis parili æstimatione repetitis. Ea puncta accuratissime determinata debebant pertinere ad binos ramos binarum hyperbolarum, sed harum arcus tam breves nihil ad sensum differre poterant a rectis lineis: eæ rectæ per suam intersectionem cum linea meridiana exhibebant singula ex iis punctis G, G' figuræ 1. Hìc in fig. 2 exhibetur ea linea cum suo puncto G inter puncta notata numeris 5, & 6, cum non habeatur nisi pars tigilli: sed obvenerunt ambæ inter numeros 12, & 13. Quare distantiæ puncti B a puncto notato 12, quæ est = 3600, addenda erat distantia ejus puncti ab ea linea pro quavis determinatione. Assumptæ sunt eæ distantiæ, & translatæ in scalam lateralem circini proportionis per circinum haben-

tem tenues cuspides, ubi etiam decimæ earundem partium particulæ per æstimationem assumptæ sunt sine periculo erroris unius ex his iisdem : dum enim punctum æque distans a binis extremis partis ejusdem exhibet $\frac{5}{10}$ addendas numero partium præcedenti, punctum, quod exhiberet particulas hinc 4, & inde 6, haberet ea duo intervalla ita diversæ magnitudinis, ut pro æqualibus haberi omnino non possent. Adjectis iis distantiis inventi sunt valores, qui habentur in sequenti tabella, ubi prima columna habet dies observationum, secunda, & tertia valores BG, BG' ita ex observatione deductos.

Apr.	BG	BG'
19	3751,4	3828,2
20	3703,0	3778,8
21	3655,3	3731,0

23. Cum habiti fuerint valores AB = 5590 (num. 13), A'B' = 5594,2 (num. 14), & (num. 20) $FI = \frac{BG \times GI}{AB}$, & $F'I' = \frac{BG' \times G'I'}{AB}$, existentibus ibidem GI, & G'I' = 4; substitutis hisce numeris, obveniunt pro die 19 FI = 2,7, F'I' = 2,7, pro die 20 FI = 2,6, F'I' = 2,7, pro die 21 FI = 2,6, F'I' = 2,7.

24. Valores FI subtracti a valoribus BG exhibent valores BF, & pro habendis valoribus B'F' oportet subtrahere a valoribus BG' hosce valores F'I', & præterea valorem BB' = 4,2 (num. 14): tum habentur tangentes distantiarum a zenith binorum punctorum disci æque distantium a centro, pro quarum tangentium valoribus assumi debent juxta numerum 15 $\frac{BF}{AB}$, & $\frac{B'F'}{A'B'}$. Inventis angulis, qui respondent hisce tangentibus, addenda esset singulis refractio, & demenda parallaxis ad habendas eas distantias correctas, ac earum distantiarum differentia deberet exhibere diametrum apparentem solis, si puncta G, & G' essent determinata a radiis transeuntibus per centrum foraminis, quod cum nequaquam fiat, sed accipiantur ea puncta per æstimationem in locis penum-

8. On est autorisé à employer cette méthode par le progrès, que l'Astronomie a fait dans les théories de toutes les planètes, pour lesquelles on a ces objets dans tous les ouvrages élémentaires de cette Science, & beaucoup mieux discutés dans l'Astronomie de M. de La-Lande, que j'ai cité tant de fois. On a fait des tables pour chaque planète tirées de ces éléments, on a calculé tant de différentes espèces d'Éphémérides d'après ces tables, & les différences de ces résultats aux lieux observés sont toujours petites de manière, qu'on est bien assuré d'avoir les mêmes éléments peu éloignés des véritables. Donc on voit bien ce qu'il faut faire pour employer cette méthode d'après ce qu'on a fait dans les deux Opuscules précédents pour la correction de deux éléments, & dans plusieurs autres des Tomes antérieurs pour corriger un plus grand nombre de quantités connues par un à-peu-près.

9. On fera un petit changement m à un de ces six éléments, en retenant les cinq autres : & ayant calculé encore les trois longitudes, & trois latitudes pour les trois temps des observations, que nous appellerons les trois termes à comparer, on trouvera de nouveau les six erreurs, & on appellera p, q, r, s, t, u la différence de celle-ci aux précédentes positive, ou négative selon que cette différence aura été une diminution, ou augmentation d'erreur. En nommant x un autre changement quelconque du même premier élément, on aura $\frac{px}{m}$, $\frac{qx}{m}$, $\frac{rx}{m}$ &c. pour les diminutions, que ce changement produira dans le six erreurs e, e', e'' &c. En reprenant le premier élément, comme on l'avoit d'abord, on fera un changement m' au seul second, & on calculera de nouveau les mêmes six termes à comparer : cette comparaison donnera les erreurs nouvelles, & les nouvelles diminutions, qu'on appellera p', q', r' &c., en appellant x' un autre petit changement quelconque, on aura $\frac{p'x'}{m'}$, $\frac{q'x'}{m'}$, $\frac{r'x'}{m'}$ &c. pour les diminutions, qui en résulteront aux erreurs primitives

e, e', e'' &c. De la même manière en employant les changements m'', m''', &c. x'', x''' &c. aux éléments suivants, & faisant la même opération, on aura les diminutions $\frac{p''x''}{m''}$, $\frac{q''x''}{m''}$, $\frac{r''x''}{m''}$ &c, & $\frac{p'''x'''}{m'''}$, $\frac{q'''x'''}{m'''}$, $\frac{r'''x'''}{m'''}$ &c, & ainsi de suite. En faisant la somme des six premiers termes $\frac{px}{m} + \frac{p'x'}{m'} + \frac{p''x''}{m''}$, &c. $= e$, on aura une équation de six termes, qui par le moyen de six changements m, m', m'', &c. détruira la première erreur e. Une pareille équation $\frac{qx}{m} + \frac{q'x'}{m'} + \frac{q''x''}{m''}$, &c. $= e'$ détruira la seconde, & ainsi des autres.

10. On aura six équations chacune avec six inconnues x, x', x'' &c., mais toujours élevées au seul premier degré, dont par les méthodes connues on tirera les six valeurs de ces inconnues, qui seront les corrections à employer à ces six éléments. Comme leurs erreurs doivent être petites, on peut espérer, que sans le renouvellement d'un si long calcul, on aura après cette première opération les mêmes éléments bien corrigés : autrement il faudroit renouveller le calcul, comme on fait dans tous les emplois des règles de fausse position, quand les différences ne sont pas assez petites pour en avoir la proportion sensiblement exacte.

11. Les formules pour réduire six équations de cette espèce à une seule seroient d'une complication immense, si on vouloit y retenir les expressions algébriques : en augmentant le nombre des équations, celui des termes augmente immensement plus, qu'en simple raison de ce premier nombre, comme le nombre des combinaisons, qu'on peut former avec un nombre donné de lettres : l'application des nombres y seroit presqu'impossible. Mais l'opération devient assez praticable, si l'on y employe à mesure les coefficients numériques. En divisant à l'aide des logarithmes tous les termes de chaqu'équation par le coefficient de son premier, on dégage celui-ci de son coefficient : alors en ôtant par une simple soustraction numérique la première des cinq suivantes, la première inconnue disparoît, & on a cinq équations avec cinq inconnues : on réduit

de

de la même manière les cinq à quatre, celle-ci à trois &c., & on arrive à toutes les valeurs cherchées par la simple substitution des logarithmes aux nombres, soustraction de ceux-ci, substitution des nombres aux logarithmes, & soustraction des coefficients numériques. La route reste encore bien longue pour arriver à ce terme, & plus longue encore pour arriver aux six équations par le moyen des valeurs, qu'on doit tirer des éléments, & qui doivent donner les erreurs, & leurs diminutions nécessaires pour obtenir les six équations ; mais pourtant elle est droite, & avant d'y entrer on la voit toute entière d'un seul coup d'œil jusqu'à son terme.

12. On en peut diminuer la longueur, en supposant la distance moyenne connue par le temps périodique, qui est assez bien connu pour toutes les planètes : on réduit par-là les éléments à varier à cinq. Pour Vénus on peut supposer connue encore la longitude du nœud, & l'inclinaison de l'orbite, ce qui réduira les équations à trois seules, & rendra incomparablement moins difficile la correction des éléments les plus incertains, qui sont la longitude de l'aphélie, l'excentricité, & la longitude moyenne à une époque donnée, & c'est l'autre méthode indiquée à la dernière ligne de l'Opuscule VII.

OPUSCULUM XI.

De orbitæ inclinatæ projectione in planum ecliptiæ (*).

1. THEOREMA. Si N'VN (Tab. X fig. 1) sit arcus sectionis conicæ, cujus planum inclinetur ad planum N'*u*N in quovis angulo dato, ac omnia ejus puncta P projiciantur in totidem puncta *p* hujus plani per rectas ipsi perpendiculares; arcus projectus N*pu*N' pertinebit ad sectionem conicam ejusdem generis cum priore, nimirum erit ellipticus, parabolicus, vel hyperbolicus, ut ille (**).

2. Si enim planum prioris arcus concipiatur applicatum posteriori plano, motu facto circa intersectionem communem N'N; constat, quamvis rectam PQ perpendicularem eidem lineæ transituram per *p*, & fore PQ ad *p*Q, ut est radius ad cosinum inclinationis, quæ ratio fiat *m* ad 1.

3. Sit N'Q = *x*, QP = *y*, Q*p* = *y'*, & erit $y = my'$. Æquatio ad priorem arcum erit hujus formæ $ay^2 + bxy + cx^2 + dy + ex + f = 0$, adeoque posito my' pro *y* æquatio ad posteriorem erit $m^2ay'^2 + mbxy' + cx^2 + mdy' + ex + f = 0$. Genus sectionis conicæ determinatur a relatione producti coefficientium valorum x^2, y^2 ad quadratum dimidii coefficientis valoris

(*) Hoc argumentum convenit ex parte cum eo, quod habetur in §. XII Opusculi I Tomi III satis fuse ibidem pertractatum, sed pro sola parabola: agitur enim ibidem de relatione parabolæ cometicæ projectæ in planum ecliptiæ cum parabola primitiva applicata, & habetur multiplex ipsius projectæ constructio. Hic id ipsum proponitur, ac perficitur generalius pro omnibus conicis sectionibus. Constructio pro ipsa parabola, & ipsius demonstratio habet discrimen quod præbet alias geometricas contemplationes, & in iis, quæ pertinent ad parabolam, & in reliquis, quæ generaliter ad reliquas binas sectiones conicas, ostendit semper magis Geometriæ vim, atque fœcunditatem.

(**) Si planum orbitæ, quæ projicitur, esset perpendiculare plano ecliptiæ; oriretur e projectione recta linea, ut patet: sed hic agimus de orbita inclinata, non de insistente ad angulos rectos.

ris xy. Nimirum æquatio prior erit ad ellipsim, parabolam, vel hyperbolam, prout $ac - \frac{1}{4}b^2$ fuerit valor positivus, zero, vel negativus; posterior pro ejusmodi valore diverso formulæ $m^2ac - \frac{1}{4}m^2b^2$: hæc formula est illa ipsa ducta in valorem positivum m^2. Quamobrem utraque debet esse valoris similis, & proinde pertinebunt ad eadem curvarum genera.

4. *Scholium*. Si projectio fieret per lineas parallelas utcunque obliquas, idem genus curvæ semper haberetur, quia ductis utcunque planis parallelis per lineas projectionum, quæ occurrerent intersectioni N'N in totidem punctis Q, rectæ QP haberent omnes directionem communem, ut & omnes Qp, ac puncta P, Q, p essent vertices triangulorum similium, in quibus quævis PQ $= y$, ad suam pQ $= y'$ haberet semper rationem communem. Inde generaliter constat, sectionem solidi cylindracei cujusvis habentis pro basi quancumque sectionem conicam, quæ fiat plano quovis, fore sectionem conicam generis ejusdem.

5. *Corol.* Si VFV' sit axis ellipseos applicatæ, existente F in recta N'N, & ductis VA, V'A' perpendicularibus ipsi N'N, sumantur in ipsis Au, A'u' ad AV, A'V' in illa ratione 1 ad m; erunt puncta u, u' ad curvam projectam, & jacebunt in directum cum puncto F. Quare si abeunte altero vertice V' in infinitum ellipsis abeat in parabolam; recta uF producta nusquam occurret parabolæ projectæ, abeunte nimirum in infinitum etiam puncto u'. Quare ipsa uF pertinebit ad unam e diametris parabolæ projectæ.

6. *Problema*. Data intersectione N'N planorum cum foco F parabolæ applicatæ jacente in ipsa, & ejusdem parabolæ vertice V, ac angulo inclinationis, invenire focum, & verticem parabolæ projectæ.

7. Ducta VA perpendiculari ad N'N capiatur in ipsa Au, quæ sit ad eam ut cosinus inclinationis ad radium. Ducta per V recta perpendiculari ad VF, quæ occurrat rectæ N'N productæ in B, ducatur Bu, & recta ipsi parallela ex N', quæ occurrat uF in D. In recta Fu producta capiatur uE tertia continue proportionalis post uD & dimidiam N'D, ac per E ducatur EG ipsi

per-

perpendicularis. Facto angulo B*u*H = B*u*E capiatur *u*H = *u*E: ducatur HG perpendicularis ad EG, & secetur bifariam in L. Erit H focus, L vertex quæsitus.

8. Si enim assumpto P ubicunque in arcu N'VN, recta QP occurrat rectis BV, B*u* in R, *r*, erit QR : Q*r* :: AV : A*u* :: QP : Q*p*. Quoniam autem BV perpendicularis axi VF est tangens parabolæ applicatæ; erit quævis RQ major quam PQ, adeoque & quævis *r*Q major quam *p*Q, & idcirco B*u* tangens parabolæ projectæ. Cum N'D sit ipsi parallela, & *u*D transiens per F sit quædam diameter ipsius projectæ (num. 5); erit parameter ejus diametri tertia post *u*D, DN', adeoque *u*E, quæ est tertia post *u*D, & $\frac{1}{3}$DN', erit ejus quadrans, & EG directrix. Cum vero tangens B*u* secet bifariam angulum E*u*H, recta *u*H tendet ad focum, & ob *u*H = *u*E ipsum punctum H erit focus, HG positio axis, L secans bifariam ipsam HG vertex. Q. E. D.

9. *Scholium* 1. Si N'N contineat cum axe VF angulos parum abludentes a rectis; punctum B abibit nimis procul. In eo casu ductâ VR perpendiculari ad VF, & ex quovis ejus puncto R demisso perpendiculo RQ in N'N, ac captâ Q*r* ad QR, ut est A*u* ad AV, ductâque *ru*, ducenda esset N'D ipsi parallela. Satis enim constat eâdem demonstratione, fore *ur* tangentem. Posset etiam N'D duci in angulo FN'D cognito: nam is æquatur angulo FB*u*, cujus tangens ad tangentem anguli FBV, sive cotangentem anguli VFN est, ut A*u* ad AV, sive ut cosinus inclinationis ad radium. Angulus VFN est anomalia nodi. Hinc anguli FN'D tangens habetur ducendo cosinum inclinationis orbitæ in cotangentem anomaliæ nodi, adeoque habetur facile is angulus, cujus ope ducitur N'D sine ullo usu puncti B, vel R, & *r*.

10. *Scholium* 2. Potest adhiberi alia constructio æque simplex in fig. 2. Sint puncta N', F, N, V eadem ac in fig. 1. Demisso perpendiculo VA, sumatur, ut prius A*u* ad AV, ut est cosinus inclinationis ad radium: ducatur *u*N, & fiat angulus FN'I = F*u*N, existente I in recta *u*F producta. Secta bifariam N'N in C, ducatur CD parallela F*u* tertia post IF, CN', producaturque,

que, donec sit DE $= \frac{1}{4}$FI, & ducatur EG ipsi perpendicularis. Centro D intervallo DC inveniatur in N'N punctum O, & in directione DO capiatur DH $=$ DE. Erit EG directrix, H focus, FI parameter diametri DC.

11. Nam in primis cum *u*F sit quædam diameter per num. 5, erit diameter quædam etiam DC, & ex natura parabolæ tam rectangulum ex CD, & parametro ejus diametri æquatur rectangulo NC$\times$CN' sive quadrato NC, quam rectangulum ex eadem parametro, & F*u* parallela ipsi CD rectangulo FN$\times$N'F. Porro triangula F*u*N, FN'I sunt similia ob angulos ad verticem F oppositos, adeoque æquales, & æquales ad *u*, & N' ex constructione; ac proinde *u*F : FN :: FN' : FI, & *u*F$\times$FI $=$ FN$\times$FN', adeoque FI æquatur ei parametro. Hinc CD tertia post eam parametrum, & ordinatam CN' exhibet verticem ejus diametri, & DE, DH ipsius quadrantes distantiam ipsius verticis a directrice, & foco. Cum autem tangens ducta per D debeat esse parallela chordæ NN', quæ cum sit secta bifariam ab ea diametro, est ejus ordinata; rectæ DO, DC, quæ in triangulo CDO isoscelio continent angulos æquales cum ea chorda, continebunt æquales etiam cum ea tangente; adeoque cum earum altera sit diameter, altera tendet ad punctum H, quod erit focus ipse ob DH assumptam æqualem distantiæ verticis D a foco.

12. *Scholium* 3. Aliam constructionem itidem satis simplicem exhibebit in fig. 1 sequens analysis geometrica. Si consideretur FP perpendicularis ad FV, ipsa erit parallela tangenti BVR, & dupla FV ex natura parabolæ. Cum vero sit PQ : *p*Q :: VA : *u*A, & angulus PFQ $=$ VBA, erit & *p*FQ $=$ *u*BA, adeoque & F*p* parallela tangenti B*u*. Quare erit parameter diametri *u*F tertia continue proportionalis post abscissam F*u*, & ordinatam F*p*, adeoque *u*E quarta pars ejus parametri erit tertia post F*u*, & dimidiam F*p*. Hæc dimidia invenietur capiendo in tangente BV segmentum VM $=$ VF, & ducendo M*m* parallelam VA, quæ ex tangente B*u* abscindet *um* $= \frac{1}{2}$F*p*. Erit enim VM : *um* :: VB : *u*B :: PF : *p*F, cumque sit FP $=$ 2FV $=$ 2VM, erit F*p* $=$ 2*um*.

13. En

13. En igitur constructionem. Ducatur per V recta VM perpendicularis, & æqualis VF. Per V, & M ducantur rectæ VA, MO perpendiculares N'N, & in iis assumantur A*u*, O*m*, quæ sint ad ipsas VA, MO, ut est cosinus inclinationis ad radium. Ducatur *um*, & in F*u* producta capiatur *u*E æqualis ipsi *um*: ducatur EG huic perpendicularis: capiatur *u*H æqualis eidem *u*E in angulo *mu*H = *mu*E: ducatur HG perpendicularis ad EG, ac secetur bifariam in L. Erit parameter diametri F*u* = 4*u*E, directrix EG, positio axis HG, focus H, vertex quæsitus L.

14. *Scholium* 4. Facile demonstratur generaliter, si VFV' sit diameter sive ellipseos, sive hyperbolæ applicatæ, existente F in linea nodorum N'N, fore *u*F*u*' diametrum projectæ; quia nimirum assumptis R*r*, P*p* in arcu N'V'N tangentes ductæ per V', & *u*' tenderent ad commune punctum ejusdem rectæ N'N respondens puncto B ex parte opposita, & essent parallelæ tangentibus BV, B*u*. Captâ autem DI tertiâ post *u*D, DN', & ductâ ex *u*' per I rectâ, quæ tangenti B*u* occurrat in K, erit *u*K parameter ejus diametri ex proprietate notissima sectionum conicarum. Cum nimirum sit *uu*' : *u*K :: D*u*' : DI :: *u*D × D*u*' : *u*D × DI = DN'². Datâ autem diametro, & parametro, ac directione ordinatarum, quæ sunt parallelæ tangenti B*u*, facile construitur sectio conica. In parabola parameter *u*K æquatur ipsi DI, cujus quadranti æquantur *u*H, *u*E, quæ determinant focum & directricem.

OPU-

OPUSCULUM XII.

De orbitæ inclinatæ projectione in aliud planum.

1. Projectio ad usus astronomicos fieri solet in planum eclipticæ, quia longitudines, & latitudines geocentricæ, quæ eruuntur ex ascensionibus rectis, & declinationibus immediate observatis, referuntur ad id planum: nam in eo jacent directiones longitudinum, dum latitudines habentur in planis perpendicularibus ad ipsum planum eclipticæ ductis per eas directiones. Hinc puncta orbitæ inclinatæ reducuntur ad planum eclipticæ per rectas ipsi perpendiculares ductas ex ipsis, quæ determinant relationes omnes pro reducendis positionibus geocentricis ad heliocentricas, & earum considerationi innititur quidquid pertinet ad positionem lineæ nodorum, & inclinationem orbitæ, quæ omnia deinde adhibentur pro reducendis positionibus heliocentricis ad geocentricas ope Trigonometriæ sphæricæ, & vero etiam planæ, adhibentis eam ipsam directionem longitudinis jacentem in plano eclipticæ, & erectionem perpendicularem lineæ demissæ ex ipso in planum eclipticæ, per quam transit planum anguli latitudinis tam geocentricæ, quam heliocentricæ.

2. Vidimus abunde in Tomo III, quantæ utilitatis sit consideratio ejusmodi projectionis, & curvæ ex ipsa ortæ in plano eclipticæ, cujus naturam, & varias constructiones idcirco persecutus sum in illo paragrapho XII Opusculi I Tomi III, quibus hìc adjeci alia plura in superiore Opusculo. Hinc censui, opportunam fore considerationem projectionis in aliud planum quodcumque, cum ea etiam consideratio possit aliquando evadere non inutilis. Id hìc persequor, sed retineo projectionem orthogonalem, cum angulus rectus omnium aptissimus sit ad calculos instituendos ob admirabilem hypothenusæ proprietatem respectu laterum, & ho-

rum ad se invicem, cui omnis Trigonometria innititur ita, ut ea ubique occurrat adhibenda: facile multa ex iis, quæ hìc proponentur pertinentia ad projectionem factam per lineas perpendiculares, traducentur ad eam, quæ fiat per parallelas utcumque obliquas.

3. In primis facile occurrit illud, projectionem in planum parallelum plano orbitæ factam per ejusmodi rectas ipsi perpendiculares, nihil immutare dimensiones orbitæ ipsius primigeniæ: curva, quæ oritur ex ejusmodi projectione, est illa ipsa translata ad distantiam æqualem distantiæ sui plani ab eodem illo plano parallelo. Inclinatio sola inducit mutationem, quæ occurrit consideranda: inclinatio autem inducit intersectionem planorum, quæ in hac consideratione generali succedit lineæ nodorum cum hoc solo discrimine, quod illa in omnibus orbitis planetarum primariorum, de quibus hìc agitur, transit per solem jacentem tam in plano orbitæ, quam in plano eclipticæ, qui quidem etiam est focus orbitæ inclinatæ, quod inducit proprietates foci utiles ad eruendas proprietates curvæ genitæ a projectione: in casu autem generali ea intersectio per focum non transit.

4. In primis theorema, quod habetur in ipso initio Opusculi superioris, habet locum hìc etiam, neque enim pendet a natura foci F figuræ 1. Dummodo linea ϒT sit intersectio communis orbitæ primigeniæ applicatæ per motum circa eam rectam ad planum, in quod illa projicitur, omnes rectæ PQ ductæ e punctis quibusvis P perpendiculares ipsi intersectioni ita occurrent orbitæ projectæ in punctis *p*, ut ratio PQ ad *p*Q sit eadem, ac ratio radii ad cosinum inclinationis ipsius orbitæ, quæ ratio si dicatur *m* ad 1 redit, ut ibi, æquatio illa eadem, quæ ostendit, orbitam projectam fore ejusdem naturæ cum primigenia inclinata, nimirum ellipsim, parabolam, vel hyperbolam, cujus est illa. Positio plani novi perpendicularis plano orbitæ primigeniæ induceret itidem hìc rectam lineam: sed agimus de orbita inclinata, cujus planum hìc potest esse parallelum priori: in illo alio casu eclipticæ si nec sit perpendiculare ejus plano, nec inclinatum, congruet cum ipso, nec ulla habebitur projectio, sed omnia puncta orbitæ primigeniæ remanerent immota in iisdem locis.

5. Hinc

5. Hinc nec parabola, pro qua potissimum hasce considerationes instituimus ad usum theoriæ cometarum, nec hyperbola per ejusmodi projectionem potest abire in curvam simpliciorem: potest autem sola ellipsis, quæ pertinet ad planetas omnes, & vero etiam censetur pertinere ad cometas, sed ita oblonga, & compressa, ut ejus arcus, qui sub conspectum cadit, pro parabolico assumi possit: ea nimirum potest abire in circulum, & facile determinatur positio plani, in quod fiat projectio, quæ circulum exhibeat, quæcumque sit distantia plani ejus a sole existente in foco ipsius primigeniæ, & extra intersectionem planorum, quam positionem mox determinabimus.

6. Sed interea pro determinatione curvæ genitæ per projectionem habetur in primis illud: in casu plani eclipticæ curva primigenia debet omnino occurrere intersectioni saltem in uno puncto N: si ea fuerit ellipsis, debebit ipsi occurrere in binis hinc & inde a foco F, si parabola, vel hyperbola, semper in binis præter casum parabolæ, in quo intersectio planorum sit ipse axis parabolæ, & binos hyperbolæ, in quibus ea sit parallela alteri e binis asymptotis, in quibus casibus altera e binis intersectionibus abit in infinitum: atque id quidem patet ex elementis conicarum sectionum, & in parabola etiam focus debet manere inter duas intersectiones, ubi habentur duæ, in hyperbola vero inter eas vel extra, prout ipsa intersectio continuerit cum axe angulum minorem quam axis, vel majorem.

7. At ubi planum non transit per focum, potest intersectio planorum vel occurrere orbitæ inclinatæ in duobus punctis, vel occurrere in unico, vel nusquam incidere in ipsam; cum possint infinitæ numero duci rectæ lineæ, quæ datæ cuicumque sectioni conicæ occurrant in binis punctis, infinitæ, quæ tangant in unico, infinitæ, quæ nusquam ipsi occurrant: nam potest per duo puncta quævis duci recta linea, quæ ei curvæ occurret utique in iis binis punctis, & in iis solis, in quibus eam secabit, cum recta linea sectioni conicæ non possit occurrere in pluribus, quam in duobus punctis: per quodvis punctum potest duci tangens, quæ ipsam curvam ita ibi continget, ut nusquam alibi ipsi occurrat;

quævis autem recta parallela tangenti cuivis ducta ex parte opposita arcui parabolæ, quem ipsa tangit, nusquam occurret parabolæ in infinitum etiam productæ, quævis in hyperbola ducta inter binas tangentes transeuntes per bina puncta opposita diametri primariæ cujusvis, quæ tangentes erunt inter se parallelæ, nusquam eidem curvæ occurret, ut e contrario quævis ducta inter duas ejusmodi tangentes pertinentes ad binos vertices diametri cujusvis secabit ellipsim ipsam in binis punctis, quævis ipsi parallela ducta extra eos limites nusquam ipsi occurret. Poterunt autem duci per quamvis ex iis rectis infinita numero plana, quorum singulorum intersectio cum plano orbitæ erit eadem recta: adeoque haberi poterunt infinities infinita numero plana, in quæ ita projiciatur orbita proposita, ut eorum intersectio cum plano orbitæ vel occurrat bis orbitæ ipsi eam secans in utroque, vel semel tantum secans itidem ibidem, si fuerit parabola, vel hyperbola, vel illam tangat in puncto unico, vel ipsi nusquam occurrat.

8. Porro idem accidet & curvæ projectæ in illud planum. Si enim A'Q fuerit ejusmodi recta, vel focus F jaceat in ipsa, vel extra ipsam; semper cuivis puncto V respondebit suum punctum *u*, & viceversa: evanescente altera e rectis AV, A*u*, evanescet & altera, ac si binis punctis V ad se invicem accedentibus in infinitum ita, ut demum congruant, & chorda, quæ producta utrinque erat recta secans curvam in binis punctis, evadat tangens in unico; etiam bina puncta *u*, quæ ipsis respondent, ita accedent ad se invicem, ac demum congruent, ut secanti succedat tangens: viceversa cuivis puncto *u* debet respondere suum punctum V, quod pertinebit ad intersectionem, vel contactum, prout punctum ipsum *u* pertinuerit ad intersectionem, vel contactum.

9. Hinc in omni hac perquisitione abstinebimus a punctis N, N', quæ adhibuimus in præcedente Opusculo, & ut possit adhiberi eadem figura 1 pro nonnullis, quæ hìc proponentur, adjecimus puncta T, T' assumpta ubicumque in ipsa intersectione planorum, quæ in casu plani eclipticæ adhibiti pro projectione erant occursus ipsius cum orbita utraque, nimirum primigenia, & genita. Eodem pacto punctum F non exhibebit hìc focum, sed gene-

neralius punctum, in quo occurrat intersectioni recta quæpiam ducta e puncto quopiam V curvæ primigeniæ applicatæ ad planum, in quod fit projectio. Ductâ autem quavis rectâ PQ perpendiculari ad intersectionem TT', & assumpto in ipsa puncto *p* ita, ut sit *p*Q ad PQ in ratione cosinus inclinationis ad radium, erit punctum *p* ad curvam genitam a projectione.

10. Habebit autem hæc consideratio generalis illud etiam commune cum casu priore particulari, quod si B fuerit occursus tangentis ductæ per quodvis punctum V orbitæ primigeniæ, recta ducta ex B per *u* erit itidem tangens genitæ: erit enim eodem pacto quævis RQ ad *r*Q, ut VA ad *u*A, ut PQ ad *p*Q, adeoque, & alternando RQ ad PQ ut *r*Q ad *p*Q, adeoque cum P jaceat citra tangentem BV, jacebit *p* citra rectam B*u*, quod cum debeat accidere hinc & inde a puncto *u*, non pertinebit occursus *u* rectæ B*u* ad intersectionem, sed ad contactum, ut idcirco B*u* sit tangens curvæ genitæ.

11. Si curva primigenia fuerit parabola, & VF quædam ejus diameter; erit & *u*F diameter curvæ genitæ: cum enim ipsa VF producta in infinitum nusquam iterum occurrat parabolæ primigeniæ; nec *u*F poterit occurrere parabolæ genitæ, adeoque hæc erit quædam ejus diameter. Hinc facile invenietur hujus parabolæ directrix, focus, vertex. Ducatur FP parallela tangenti BV media geometrice proportionalis inter abscissam VF, & parametrum parabolæ primigeniæ, quæ hac datâ datur, datur enim ejus focus, & distantia puncti V ab ipso, cujus quadruplum est ea parameter: ducatur PQ perpendicularis ad TT', & recta F*p* parallela tangenti B*u*, quæ eidem PQ occurrat in *p*: patet, punctum *p* fore ad parabolam genitam, cum facile perspiciatur, fore Q*p* ad QP, ut A*u* ad AV, nimirum in illa ratione cosinus inclinationis ad radium: hinc erit *u*F abscissa, F*p* ordinata ad diametrum, cujus vertex *u*: adeoque tertia continue proportionalis post F*u*, & F*p* erit parameter ejus diametri. Eâ inventâ, assumetur in recta F*u* producta *u*E æqualis ejus quadranti, fiet angulus B*u*H = B*u*E, & *u*H = *u*E, ducetur recta EG perpendicularis ad F*u*, tum HG perpendicularis ipsi GE, quæ secabitur bifariam in

L,

L, & erit EG directrix, H focus, L vertex parabolæ genitæ.

12. Si curva primigenia fuerit ellipsis, vel hyperbola, & VFV' quædam ejus diameter, ductis VA, V'A' perpendicularibus rectæ TT', & assumptis A*u*, A'*u*' ad AV, A'V' in illa ratione eâdem, erit & *uu*' diameter curvæ genitæ. Si enim concipiatur recta ducta per V' parallela rectæ BV, ea occurret rectæ TT' productæ, quantum est opus, in alio puncto B', quod hìc non exprimitur, posito ex parte T', & *u*'B' erit tangens curvæ genitæ, quam facile patet, fore parallelam tangenti B*u* ob rectas V'A', *u*'A' proportionales rectis VA, *u*A. Recta autem, quæ jungit binos contactus binarum tangentium parallelarum in sectionibus conicis est diameter. Quare invenietur & centrum sectâ bifariam ipsâ *uu*'. Si autem e quovis puncto curvæ primigeniæ ducatur recta parallela tangenti *u*B, quæ occurrat ipsi diametro in D, ut N'D in casu ellipseos, in quo omnes ordinatæ jacent inter binos vertices *u*, *u*', & assumatur media geometrice proportionalis inter *u*D, & D*u*', tum tertia post hanc mediam, ordinatam illam N'D, & diametrum *uu*', erit hæc diameter conjugata: erit enim rectangulum sub binis abscissis *u*D, D*u*', quod est æquale quadrato illius mediæ, ad quadratum ordinatæ N'D, ut quadratum *uu*' ad quadratum illius quartæ lineæ inventæ, quæ est proprietas diametrorum conjugatarum. Ductâ per centrum hinc & inde rectâ parallelâ tangenti B*u* æquali dimidio diametri inventæ, habebitur & positio ipsius: datis autem magnitudine, & positione binis diametris conjugatis, facile per regulas, quæ traduntur in elementis sectionum conicarum, inveniuntur axes, foci, directrices, omnia, quæ pertinent ad curvam quæsitam. Porro eadem est constructio etiam pro hyperbola cum hoc solo discrimine, quod punctum D cadet non inter puncta *u*, *u*', sed in productionem ejusdem diametri.

13. Si punctum V fuerit vertex axis parabolæ primigeniæ, vel alter e verticibus axis hyperbolæ, aut utriuslibet e binis axibus ellipseos; *u*F in parabola genita non pertinebit ad ejus axem, nec *uu*' erit harum axis, nisi recta TT' fuerit perpendicularis axi curvæ ipsius primigeniæ, quo solo casu, puncto B abeunte

in

in infinitum, etiam tangens B*u* erit perpendicularis diametro, rectâ VA cum suo puncto *u* abeunte in rectam VF. In reliquis casibus angulus F*u*B erit semper obtusus, cum singulæ ejus partes A*u*F, A*u*B sint anguli externi, majores internis, & oppositis AVF, A*u*B, partibus nimirum anguli recti FVB.

14. Adhuc tamen facile invenietur inclinatio plani transeuntis per eandem rectam TT' datam, in quo ipsa *u*F pertineat ad axem. Assumatur in orbita primigenia pro V non punctum axis, sed punctum, in quo tangens contineat cum diametro VF angulum FVB acutum, quod fieri poterit; semper enim puncta posita extra verticem hinc & inde ab ipso erunt ejusmodi, ut is angulus ex parte altera sit acutus, & ex altera obtusus. Si capiatur V ex ea parte, ex qua is angulus est acutus, & diametro FB fiat semicirculus; is occurret rectæ AV in aliquo puncto *u*, & angulus F*u*B erit rectus, adeoque *u*F pertinebit ad axem, & vertex parabolæ erit ipsum punctum *u*, ac focus invenietur facilius assumendo *u*H = *u*E versus F.

15. Si orbita primigenia fuerit hyperbola, vel ellipsis invento *u* per ejusmodi semicirculum, & *u*' ut prius, erit *uu*' axis transversus hyperbolæ, vel alter e binis axibus ellipseos, qui erit axis transversus, vel conjugatus, prout illa media geometrice proportionalis inter *u*D, & D*u*' fuerit major, vel minor, quam ordinata DN'. Si ea media fuerit æqualis huic ordinatæ; habebitur circulus, quod potest accidere casu quodam, qui tamen est unicus inter infinitos casus inæqualitatis. Facile autem est invenire plana numero infinita, in quibus pro ellipsi tuto obveniat circulus. Satis est ducere rectam TT' perpendicularem axi transverso, per quodvis punctum ipsius etiam producti, ac per eam rectam ducere planum inclinatum ad planum orbitæ primigeniæ in angulo, cujus cosinus ad radium sit, ut axis conjugatus ad ipsum transversum.

16. Sint enim in fig. 3 VCV', PCP' bini axes ellipseos primigeniæ, quorum prior transversus, adeoque major posteriore: intersectio planorum perpendicularis priori ducta per punctum F ipsius etiam utcumque producti sit TT'. Ductis PQ, P'Q' perpendicu-

dicularibus ipsi TT', & assumptis $Fu, Fu', Qp, Q'p$ ad FV, FV', QP, Q'P' in ratione cosinus inclinationis ad radium, quæ est ex constructione ratio axis conjugati PP' ad transversum VV', patet ex præcedentibus, fore *uu'*, & *pp'* axes curvæ genitæ : erit autem etiam *uu'* ad VV' in illa ratione axis PP' ad axem VV', in qua sunt Fu, Fu' ad FV, FV'. Hinc axis *uu'* genitæ erit æqualis axi PP' primigeniæ, cui cum sit æqualis etiam alter axis *pp'* genitæ, latus nimirum oppositum lateri PP' rectanguli $PP'p'p$, is erit æqualis priori *uu'*, ellipsi migrante in circulum.

OPU-

OPUSCULUM XIII.

De calculanda aberratione astrorum orta e propagatione luminis successiva.

§. I.

De natura, & binis generibus ejus aberrationis.

1. Si radius momento temporis deveniret ab objecto ad oculum directione nihil mutata; linea visualis, per quam determinamus objectorum loca, & motus, tenderet recta ab oculo ad objectum ipsum. Eam directionem mutat refractio, quæ radium detorquet. Hujus effectum hìc mente secludimus, considerando pro ultima directione radii advenientis ad oculum rectam lineam, quæ ad ipsum tendit ab objecto. Per eam oculus videret ipsum objectum in eo loco, in quo id est tum, cum videtur, nisi aliud aberrationum genus oriretur a luminis propagatione successiva, quod est simplex pro objectis immotis, duplex pro habentibus motum suum, quo id ipsum mutat locum, dum lux progreditur.

2. Primum ejus aberrationis genus oritur ex eo, quod linea visualis, secundum quam dirigimus instrumenta astronomica ad objectum, debet deflecti ab ultima directione radii delati ad oculum ad hoc, ut particula luminis ingressa in instrumentum ipsum, ut in tubum, deveniat ad oculum, unde fit, ut secluso etiam effectu refractionis, non dirigatur linea visualis ad locum ipsum objecti, adeoque non videamus ipsum utut immotum ibi, ubi id est, ac de eo effectu egimus in Opusculo III Tomi II, ubi etiam persecuti sumus discrimen ejus aberrationis, quod occurrit, si pro tubo vacuo, nimirum pleno solo aere, ut sunt ii, qui adhibentur tam ad astronomicas observationes, quam ad usus civiles, adhibeatur tubus ple-

nus aqua. Hoc primum genus aberrationis est commune etiam objectis interea translatis, pro quibus accedit alterum ortum ex eo, quod, seclusa refractione, secluso primo eo aberrationis genere, linea visualis non tendit ad locum, in quo objectum est tum, cum lumen advenit ad oculum, sed in quo erat tum, cum id ab ipso est emissum. Agitur in hoc Opusculo de utroque aberrationis genere, de primo potissimum, quod fixarum loca a sua positione detorquet.

3. Aberratio mutat nonnihil tam longitudinem, & latitudinem fixarum, quam ascensionem rectam, & declinationem. Habentur apud Astronomos formulæ pro calculandis effectibus aberrationis primi generis commodiores etiam iis, quas hìc exhibebimus, & de hac re tota consulenda est in primis Astronomia La-Landii; sed libuit hoc idem argumentum hìc pertractare methodo, quæ nobis prima se obtulit, ut appareret semper magis, quam late pateat usus formularum Trigonometriæ differentialium, quas exhibuimus in Opusculo XV Tomi præcedentis: determinatis enim methodo geometrica particulari formulis pertinentibus tam ad longitudinem, & latitudinem, quæ simpliciores sunt, & facilius eruuntur, quam ad ascensionem rectam, & declinationem, quæ sunt aliquanto complicatiores, deduximus hasce posteriores ex illis prioribus ope earundem formularum applicatarum ad casum, in quo habetur constans unicus e sex terminis pertinentibus ad triangulum variatum, nimirum e tribus lateribus, & tribus angulis. Aliunde hæ ipsæ formulæ, uti hìc occurrunt, sunt itidem aptæ ad calculandas aberrationes easdem, & satis commodæ.

4. Sit in fig. 4 (Tab. X) C objectum, ATB arcus orbitæ terrestris, ad cujus punctum T' deveniat oculus delatus cum motu terræ per arcum TT' eo tempusculo, quo radius percurrit axem tubi TD, qui tubus consideretur ut in immensum arctus, vel ut habens binas bases oppositas cum tenuissimis foraminulis: particula luminis ingressa in D non adveniet ad oculum in T', nisi tubus ipse inclinetur directione TD, quæ sit basis trianguli TT'D, cujus latera TT', T'D sint, ut est velocitas terræ ad velocitatem luminis. In ea positione tubi translati cum ipsa terra motu ad sen-

sum

sum parallelo ob immensam hujus exiguitatem in T'D' progredietur semper particula per ejus axem usque ad T', ad cujus nimirum puncta singula deveniet singulis momentis temporis intermedii. Tubo directo ad objectum, vel utcumque aliter inclinato, impinget particula in latera tubi, vel si is sit crassior, cum iis binis basibus oppositis habentibus illa bina foraminula, ipsa particula ingressa per primum in D non inveniet secundum in T', per quod transcurrat usque ad oculum. Porro directio, per quam nos determinamus lineam visualem, est illa, quam habet axis tubi, sive directio foraminum, quæ tendit per T'D' parallelam TD, cui si occurrat in E recta EC parallela chordæ TT', locus apparens objecti in ea recta erit E, & aberratio angulus CT'E. Erit autem T'C ad CE ut T'D ad DD' æqualem TT', nimirum ut celeritas luminis ad celeritatem oculi translati cum tubo. Hinc erit sinus aberrationis DT'D' ad sinum anguli T'D'D, sive D'T'I, quem continet directio apparens T'D' cum productione T'I chordæ TT' abeunte, ubi agitur de aberratione orta a motu annuo terræ, in tangentem orbitæ terrestris, ut est DD' = TT' ad T'D, sive celeritas luminis ad celeritatem terræ: ea aberratio idcirco erit maxima, ubi is angulus erit rectus, ac variabitur pro varia positione directionis apparentis respectu tangentis orbitæ terrestris. Cum velocitas motus annui terræ subeat mutationem per quam exiguam respectu totius, magnitudo rectæ CE erit ad sensum constans, & cum ea sit semper parallela tangenti orbis annui jacentis in plano eclipticæ, jacebit in plano parallelo eclipticæ ipsi. Hinc locus apparens E describet circa verum C circulum, cujus planum erit parallelum plano eclipticæ, & jacebit in directione parallela tangenti motus annui terræ, & punctum sphæræ cælestis infinitæ, ad quod ea directio tendit, debet esse orientalius per tria signa puncto, quod in ipsa occupat terra visa e sole, adeoque occidentalius per tria signa puncto, quod occupat in eadem sol spectatus e terra: hinc si concipiantur in eodem circulo puncta respondentia signis zodiaci cælestis, punctum ejus circuli occupatum a loco apparente erit occidentalius per tria signa loco occupato in ecliptica cælesti a sole spectato e terra.

5. Is circulus relatus ad superficiem sphæræ cælestis spectatæ e terra apparebit itidem circulus pro fixa existente in polo ecliptícæ, recta linea pro ea, quæ sit in ecliptica ipsa, & in omnibus aliis positionibus apparebit ob tantam exiguitatem ellipsis magis, vel minus compressa, prout fixa ipsa fuerit propior eclipticæ, vel ab ea remotior : axis major pro omnibus ejusmodi ellipsibus subtendet constanter angulum eundem aberrationis maximæ, ac erit perpendicularis plano transeunti per axem eclipticæ, & fixam, adeoque perpendicularis ad arcum circuli latitudinis ducti per hanc e polo eclipticæ : axis autem minor ipsi perpendicularis congruet cum arcu ejusdem circuli cælestis, ac erit ad majorem in ratione radii ad sinum latitudinis metientis angulum, quo planum ejus circuli paralleli plano eclipticæ inclinatur ad superficiem ejus sphæræ, in quam is circulus projicitur.

6. Hæc est idea genuina naturæ, & causæ physicæ ejus aberrationis tradita ab ipsius inventore Bradleyo, ex qua determinandæ sunt formulæ pro calculandis ejus effectibus. Observationibus institutis inventa est aberratio maxima secundorum 20, unde patet nullam rationem habendam esse motus diurni terræ, cujus velocitas invenitur circiter 60 vicibus minor velocitate motus annui : nam idcirco is motus non potest inducere pro aberratione, nisi trientem unius secundi, nimirum quantitatem, quæ effugit omnem sensum.

7. Pro secundo aberrationis genere consideretur recta CC' ducta a puncto C, in quo erat objectum eo momento temporis, quo particula luminis discessit inde, usque ad punctum C', ad quod illud devenit eo momento, quo ea appellit ad T' : aberratio secundi generis erit angulus CT'C', aberratio composita ex iis binis angulus ET'C', objectum enim erit in C', & locus visus in E. Sed agemus in sequentibus paragraphis seorsum de singulis, nimirum de sola aberratione primi generis, de sola secundi, de composita e præcedentibus binis simul conjunctis.

§. II.

§. II.

De primo aberrationis genere orto ab inclinatione lineæ visualis ad directionem radii advenientis.

8. SIT in fig.5 (Tab.X) ABDE ecliptica sphæræ cælestis geocentricæ, ad quam referimus astrorum loca, & motus spectatos e terra, A principium arietis, B cancri, D libræ, E capricorni, BPE semicirculus solstitiorum cum suo polo eclipticæ P, æquatoris P', locus autem fixæ C in suo quadrante PCG circuli latitudinis, in quo latitudo ipsa erit arcus GC, & longitudo determinabitur a puncto G. Ellipsis descripta in superficie ejus sphæræ a loco apparente per aberrationem primi generis habebit juxta num. 5 axem majorem *g*CK perpendicularem arcui PCG, minorem OCN congruentem cum ipso, qui erit ad majorem, ut sinus latitudinis GC ad radium. Si concipiatur centro C radio maximæ aberrationis C*g* circulus habens planum parallelum plano eclipticæ occurrens plano circuli PCG in L, & M; motus apparens fiet, tanquam si fixa percurreret eum circulum, cujus projectio facta in superficiem sphæræ cælestis per radios ipsi perpendiculares, & ad sensum parallelos, gignit eam ellipsim. In eo circulo locus fixæ apparens, sole appellente ad G, occupabit punctum *g* occidentalius per tria signa loco eclipticæ G, cui respondet in eo circulo punctum L: si quovis alio tempore sol sit in H, accipiatur autem arcus *gh* in eodem circulo similis arcui GH; punctum *h* erit locus apparens fixæ in eo circulo. Ad habendum eundem locum in ea ellipsi orta ex projectione ejus circuli obliqui respectu superficiei sphæræ, in quam is projicitur, satis erit concipere ipsum applicatum ad eam superficiem conversione facta circa axem *g*K: in ea applicatione puncta ipsa *g*, K remanebunt in iisdem locis, recta autem *h*Q perpendicularis lineæ *g*K determinabit punctum I, in quod projicitur ipsum punctum *h* circuli inclinati, nimirum punctum quæsitum, quod occupat in ellipsi orta ex projectione locus apparens.

9. Si

9. Si concipiantur arcus circulorum latitudinis, & declinationis ducti e polis P, P' per locum I, ipsorum particulæ inclusæ intra eam ellipsim haberi poterunt pro rectis lineis, quæ sint parallelæ particulis arcuum PC, P'C, quorum prior est perpendicularis axi majori gK, adeoque haberi poterit pro perpendiculari axi eidem etiam particula arcus PI, quæ idcirco congruet cum illa hIQ. Hinc aberratio latitudinis erit IQ, longitudinis angulus IPC, ductoque arcu CR perpendiculari ad P'I, erit IR aberratio declinationis, angulus CP'I aberratio ascensionis rectæ.

10. Harum aberrationum determinanda est directio, & magnitudo, quorum utrumque facile obtinebitur per formulas trigonometricas. Et quidem in casu, quem exprimit figura, in quo fixa sit orientalior quam principium capricorni E, & sol orientalior quam fixa per arcum minorem quadrante, ac itidem fixa per arcum minorem quadrante distans a polis borealibus P, P', patet, aberrationem utramque applicatam distantiæ ab ipsis polis fore positivam, aberrationem vero latitudinis, & ascensionis rectæ fore negativam. Quare si valores inveniantur pro hoc casu per sinus, & tangentes, ac præmittatur illis prioribus signum positivum, hisce posterioribus negativum, determinentur autem rite arcus EG, GH directione tendente in orientem, & signa sinuum fiant negativa in tertio, & quarto quadrante, signa cosinuum in secundo, & tertio, signa tangentium, & cotangentium in secundo, & quarto, considerentur autem distantiæ a polis borealibus pro latitudine, & declinatione; ipsæ formulæ sponte sua exhibebunt directionem aberrationis.

11. Pro valore autem inveniendo, arcus GH, quem appellant argumentum annuum, fiat $= a$, arcus EG $= b$, arcus PC $= c$, arcus P'C $= d$, arcus PP' $= e$, angulus gCI $= x$, angulus RCI $= y$, P'CP $= z$, & erit ut radius $= 1$ ad cosinum arcus PC $= cos.c$, ita LC ad NC, adeoque ex natura ellipseos, ita hQ $= Ch \times sin.hCg = 20'' \times sin.GH = 20'' \times sin.a$ ad QI $= 20'' \times sin.a \times cos.c$, erit autem CQ $= 20'' \times cos.hCg = 20'' \times cos.a$, quo diviso per $sin.PC = sin.c$, fiet angulus CPI $= \frac{20'' \times cos.a}{sin.c}$.

De-

Deinde ob radium communem CI erit $cos.QCI = cos.x : sin.RCI = sin.y :: CQ = 20'' \times cos.a : IR = \frac{20'' \times cos.a \times sin.y}{cos.x}$, ac eodem pacto $CR = \frac{20'' \times cos.a \times cos.y}{cos.x}$, quo diviso per $sin.P'C = sin.d$, erit angulus $CP'I = \frac{20'' \times cos.a\, cos.y}{cos.x\, sin.d}$.

12. Quare remanebunt determinandi tantummodo anguli x, & y, ad habendos valores quæsitos. Porro est ut radius $= 1$ ad $cos.PC = cos.c$ ita hQ ad IQ, ita tangens $hCg = tan.a$ ad tangentem $ICg = x$, adeoque $tan.x = tan.a \times cos.c$; angulus autem $ICR = y$ est major angulo $ICg = x$ per angulum RCQ, qui ob rectos PCg, P'CR æquatur angulo $PCP' = z$. Hic autem habebitur factis $sin.P'C = sin.d : sin.PP' = sin.e :: sin.P'PC = sin.EPC = sin.EG = sin.b : sin.PCP' = sin.z = \frac{sin.e \times sin.b}{sin.d}$. Quare habentur omnia: nimirum $tan.x = tan.a \times cos.c$, $sin.z = \frac{sin.e \times sin.b}{sin.d}$, $y = x + z$. Porro horum angulorum inventio est expeditissima, cum ob exiguitatem aberrationum negligenda sint secunda.

13. Posset quidem angulus $PCP' = z$ inveniri ex sola longitudine, & latitudine, quæ in eo triangulo exhibent latus PC, & angulum ad P dato jam latere PP', vel ex sola ascensione recta, & declinatione, quæ exhibent latus P'C cum angulo ad P'. Sed quoniam plurium fixarum jam habetur in catalogis tam longitudo, & latitudo, quam ascensio recta & declinatio, & hæ quidem haberi solent pro pluribus fixis, simplicior est ejus determinatio hìc proposita, quæ adhibet solam declinationem cum longitudine jam necessaria pro inveniendo argumento annuo aberrationum in longitudinem, & latitudinem.

14. Valor a invenietur subtrahendo longitudinem fixæ a longitudine solis, aucta per integrum circulum, si hæc fuerit minor. Valor b subtrahendo 270° a longitudine fixæ itidem aucta per 360, si opus sit, valor c, vel d subtrahendo a 90° latitudinem, vel de-

declinationem borealem, & ipsis addendo australem : valor *e* est inclinatio eclipticæ. En igitur denominationes, & formulas

long. solis — *long.* fixæ . . . . . *a*

long. fixæ — 270° . . . . . *b*

90° . . { — *lat.bor.* . + *lat.austr.* } . . . . . *c*

90° . . { — *dec.bor.* . + *dec.austr.* } . . . . . *d*

Inclinatio eclipticæ . . . . . *e*

Formulæ pro *x*, & *y* . . . $\begin{cases} \tan.x = \tan.a \times \cos.c \\ \sin.z = \dfrac{\sin.b \times \sin.e}{\sin.d} \end{cases}$

$y = x + z$

Formulæ pro $\begin{cases} \text{latitudine} \ldots = + 20'' \times \sin.a \times \cos.e \\ \text{longitudine} \ldots = - \dfrac{20'' \times \cos.a}{\sin.c} \\ \text{declinatione} \ldots = + \dfrac{20'' \times \cos.a \times \sin.y}{\cos.x} \\ \text{ascensione recta} \ldots = - \dfrac{20'' \times \cos.a \times \cos.y}{\cos.x \sin.d} \end{cases}$.

15. Prima, & tertia applicantur distantiæ a polo, adeoque applicari possunt cum suis signis latitudini, & declinationi australi, cum contrariis boreali. Secunda, & quarta cum suis signis applicantur longitudini, & ascensioni rectæ. Pro tertia, & quarta invento *log.* 20 + *log.cos.a* — *log.cos.x*, satis est prius addere *log.sin.y*, tum *log.cos.y* — *log.sin.d*. In his autem ipsis res est expeditissima, cum in angulorum valoribus negligantur secunda.

16. Hæc quidem methodus est satis expedita, ubi agitur de unico astro quovis, pro quo inde potest construi tabula habens unicum argumentum *a* exhibens positionem respectu loci solis. Formulæ priores pro longitudine, & latitudine, quæ sunt communes, exhibent etiam tabulam generalem habentem binos ingressus, nimirum per ipsum valorem *a*, & per latitudinem, quæ exhibet *c*. Verum pro ascensione recta, & declinatione hoc pacto requirerentur tria argumenta, nimirum *a*, *b*, *c*, quæ determinant

nant quartum d, manente communi e. Id reddit multo complicatiores & tabulas, & earum usum. Verum per alias formulas adhuc satis simplices potest construi alia tabula generalis, quæ pro duplici ingressu contineat solam longitudinem, ac latitudinem, & exhibeat breves numeros, per quos multiplicata exigua aberratio longitudinis, & latitudinis inventa per tabulam priorem præbeat quæsitas aberrationes ascensionis rectæ, & declinationis.

17. Eæ formulæ facile invenientur. Ob angulos rectos CQI, CRI puncta Q, R sunt ad semicirculum, cujus diameter esset CI: hinc anguli QCR, QIR insisterent eidem arcui QR ad peripheriam, adeoque erit QCR = QIR, sive PIP', pro quo ob tantam viciniam punctorum C, & I potest assumi PCP' = z (num. 11), & juxta eundem numerum 11 erit PC = c, P'C = d. Fiat autem præterea aberratio declinationis QI = m, & longitudinis CPQ = n, quorum valorum primus applicetur distantiæ a polo P, & exprimat numerum positivum, quando eam augebit, ut in casu expresso a figura, secundus positivum, ubi aberratio dirigatur secundum ordinem signorum, adeoque augeat longitudinem, quam cum angulus CPQ minuat in casu ejusdem figuræ, exprimetur hìc per n numerus negativus: in eodem autem sensu debebunt haberi hìc pro positivis valores, qui augeant distantiam a polo P' per aberrationem declinationis, & ascensionem rectam per aberrationem hujus. Si autem concipiantur QV, QT perpendicula ducta in CR, IR; erit TR = QV, VR = QT. Quod si ponantur arcus, & anguli exigui pro suis sinubus; erit CQ = CPQ × *sin.*PC = $n \sin.c$, CV = CQ × *cos.*QCR = $n \sin.c \cos.z$, RT = VQ = CQ × *sin.*QCR = $n \sin.c \sin.z$, VR = QT = QI × *sin.*QIR = $m \sin.z$, TI = QI × *cos.*QIR = $m \cos.z$. Jam vero aberratio declinationis RI habebit summam binorum terminorum TI, & RT, quorum uterque in casu expresso a figura debet esse positivus, cum augeat distantiam a polo P', adeoque ea erit = $m \cos.z - n \sin.c \sin.z$, ut nimirum ob valorem n negativum sit positivus etiam secundus terminus: aberratio autem ascensionis rectæ CR habebit positivum VR cum negativo CV, adeoque erit $m \sin.z + n \sin.c \cos.z$, quorum prior

erit positivus, & posterior negativus ob n itidem negativum. En igitur formulas pro hisce aberrationibus (*):

Aberratio declinationis . . . . . $m\cos.z - n\sin.c\sin.z$

Aberratio ascensionis rectæ . . . $\frac{m\sin.z}{\sin.d} + \frac{n\sin.c\cos.z}{\sin.d}$.

18. Ex his computari potest tabula generalis, quæ pro quavis longitudine, & latitudine exhibeat numeros quatuor, qui earum ope innotescent, nimirum $\cos.z$, $-\sin.c\sin.z$, $\frac{\sin.z}{\sin.d}$, $\frac{\sin.c\cos.z}{\sin.d}$. Inventis valoribus m, n per primam tabulam numeri 16 computatam adhibendo formulas numeri 14, inveniantur in hac secunda tabula pro quavis data longitudine, & latitudine ii quatuor numeri: primi duo ducti in m, & n exhibebunt aberrationem declinationis, postremi duo ducti in eosdem valores exhibebunt aberrationem ascensionis rectæ. Qui suscipiat computandam ejusmodi tabulam generalem, is posset prius computare aliam futuram usui non solum pro hoc casu, sed pro aliis etiam plurimis in Astronomia, in qua pro data longitudine, & latitudine haberetur angulus z, quem continet circulus latitudinis cum circulo declinationis, & declinatio. Satis esset computare ejusmodi tabulam pro unico octante sphæræ, cum in reliquis redeant eædem determinationes, & pro re præsenti satis esset habere ipsam in quinos gradus longitudinis, & latitudinis ob tantam aberrationum exiguitatem.

19. Hæc methodus, pro ascensione recta evadet erronea, ubi distantia ab alterutro polo æquatoris fuerit nimis exigua, quo casu, decrescente in infinitum $\sin.d$, aberratio ascensionis rectæ in formula excresceret in infinitum. Id autem accidit ob quantitates inferiorum ordinum, quæ in methodo differentiali negliguntur, quod quidem rite fit, donec eæ, respectu quarum negliguntur, non

(*) Hi valores adhibendi sunt cum suis signis, ubi reducendus sit locus verus ad apparentem: si apparens reduci debeat ad verum, adhibenda sunt signa contraria. Aberratio latitudinis, & declinationis, uti hìc proponitur, appellanda potius fuisset aberratio distantiæ a polo, cui ea applicanda est, cavendo, quod, auctâ distantiâ a polo, augetur latitudo, & declinatio australis, minuitur borealis.

non decrescunt in infinitum etiam ipsæ. Sic etiam formulæ pro latitudine, & longitudine non bene procedent in distantia a polo eclipticæ nimis exigua, ubi PI non est perpendicularis ad Cϙ, nec CQ exigua respectu CP. Utrobique addibenda alia methodus, quæ rem immediate conficiat pro paucissimis iis fixis, quæ ita parum distent a polo, ut 20 secunda non sint quantitas exigua respectu ejus distantiæ.

20. Formulæ, quæ num. 17 inventæ sunt methodo particulari, inventæ prius fuerant alia methodo generaliore adhibente meas formulas differentiales Trigonometriæ, quæ habentur in Opusculo XV Tomi IV num. 15 adjectis in eodem Opusculo & demonstrationibus, & pluribus aliis usibus egregiis. Eæ sunt quatuor, & complectuntur nexus omnes inter exiguas mutationes, quæ occurrere possint in triangulorum omnium lateribus, & angulis, quarum tres quæcumque determinant quamvis e reliquis tribus. Hìc tamen occurrit usus binarum tantummodo applicatarum ad triangulum, in quo unum latus sit constans. In triangulo CPP' abeunte in IPP' præter latus constans PP' datur ex latitudine, & longitudine immediate latus PC, & angulus ad P, ex quibus reliqua, quibus opus fuerit, erui possunt. Mutatio lateris PC, & anguli P est ipsa aberratio latitudinis, & longitudinis, assumpta hac posteriore cum signo contrario, cum nimirum decrescente EPC, crescat P'PC: aberratio autem declinationis, & ascensionis rectæ sunt mutationes lateris P'C, & anguli PP'C. Ubi quæritur harum prior, combinatio ad rem necessaria est trium laterum PC, P'C, PP' cum uno angulo P: combinatio autem pro posteriore est laterum PC, PP' cum angulis ad P, & P': manet in utraque latus PP' sine mutatione, & dantur mutationes binorum e reliquis tribus terminis, ac quæritur mutatio tertii. Pro hisce mutationibus meæ formulæ sunt, quæ sequuntur.

Latera cum angulis oppositis . . . . . x, y, z, p, q, r.

Pro x, y, z, p . . . . $dx - dycos.r - dzcos.q - dpsin.zsin.q = 0$

Pro x, y, p, r .. $dxsin.q - dycos.zsin.p - dpsin.z - drsin.xcos.q = 0$

21. In prima combinatione angulus ad P debet esse $= p$, latus ipsi oppositum P'C $= x$, tum reliqua duo latera, ut libet,

adeoque fieri potest PP' = y, PC = z: tum erit angulus ad C = q, ad P' = r, adeoque erit $dy = 0$, $-dp$ aberratio longitudinis = n, dz aberratio latitudinis = m: quæritur autem dx aberratio declinationis, quæ omisso $-dycos.r$ eruitur e priore formula = $dzcos.q + dpsin.z\,sin.q$, ubi cum angulus ad C, qui hìc est q, & latus PC, quod hìc est z, sint (juxta denominationem numeri 11) z, & c, erit aberratio quæsita declinationis $mcos.z - nsin.c\,sin.z$, eadem quæ numero 17 in iisdem valoribus numeri 11.

22. In secunda combinatione valor anguli P', cujus mutatio quæritur, debet esse p, ut habeat mutationem dx lateris oppositi PC datam = m: tum angulus ad P erit r, cujus mutatio $-dr$ est itidem data = n: hinc fiet angulus ad C = q, latus P'C = z, PP' = y. Facto in secunda formula $dy = 0$, eruitur $dp = \frac{dxsin.q}{sin.z} - \frac{drsin.xcos.q}{sin.z}$: positis z, d, c pro C, P'C, PC ex numero 11, nimirum hìc pro q, z, x, habebitur aberratio quæsita ascensionis rectæ = $\frac{msin.z}{sin.d} + \frac{nsin.c\,cos.z}{sin.d}$.

§. III.

De secundo aberrationis genere orto e motu objecti respondente tempori, quo lumen ab ipso devenit ad oculum.

23. ABERRATIONES, de quibus egimus in paragrapho superiore, sunt communes cuivis objecto, sive ipsum sit immotum toto tempore, quo lux ab ipso devenit ad oculum, uti censentur manere fixæ, sive interea moveatur motu quopiam, ut planetæ, & cometæ. Hinc aberrationi, quæ in fig. 4 respondet angulo CT'E, addenda est pro his objectis juxta num. 7 ea, quæ respondet angulo CT'C'.

24. Ejus valor determinari potest, si determinetur ratio distantiæ T'C ad rectam CC', & angulus T'CC', quibus habitis habetur species trianguli CT'C', & angulus ad T'. Ea ratio facile invenietur, si motus objecti sit rectilineus, & uniformis, vel haberi

beri possit pro tali eo tempore, quo lux devenit ab ipso ad terram, & inveniatur ratio velocitatis terræ in orbita sua habita pro circulari ad velocitatem objecti ipsius. Nam ratio rectæ T'C ad CC' erit eadem, ac ratio, quam habet velocitas luminis ad velocitatem objecti, quæ componitur e ratione, quam habet velocitas luminis ad velocitatem terræ, & hæc ad velocitatem objecti. Prima est ratio, quam habet radius ad sinum aberrationis maximæ primi generis juxta ea, quæ habentur in paragrapho præcedente, & ea aberratio maxima est = 20", adeoque ea ratio est radii ad sinum secundorum 20, nimirum 1 ad 0,000097.

25. Ex ipsa illa aberratione maxima = 20", facile eruitur tempus, quo lux advenit a sole ad terram: cum enim arcus tam exiguus assumi possit pro suo sinu; eo tempore terra percurret in orbita sua eum arcum: porro ipsius motus horarius est circiter = 2'. 28" = 148", qui respondet secundis horariis 3600, adeoque secundis 20 ejus motus respondent secunda temporis $\frac{20 \times 3600}{148}$ = 486 = 8', 1. Hinc tempus, quo lux devenit a quovis planeta, vel cometa visibili, est tam breve, ut ejus motus eo tempore haberi possit pro rectilineo, & uniformi, atque id eo magis, quod in distantiis majoribus, in quibus id tempus est aliquanto longius, sed adhuc semper satis breve, motus est magis lentus. Potest autem pro planeta posito in quovis puncto dato ejus orbitæ determinari velocitas relata ad velocitatem terræ, & angulus, quem directio tangentis eorum orbitæ in eo puncto continet cum recta tendente ad terram, ac directionis ipsius positio, quibus inventis, patet, inveniri posse tam magnitudinem ejus aberrationis, quam directionem, in quam ea tendit.

26. Facilius ea aberratio inveniri potest pro iis astris, quorum est cognitus motus verus, uti sunt planetæ, etiam sine suppositione motus rectilinei, & uniformis, sequenti pacto. Invenietur per tabulas astronomicas locus verus geocentricus planetæ pro momento, quo fit observatio, & distantia vera a terra pro eo momento, quæ haberi poterit pro æquali ei distantiæ, quam planeta habuit, cum lumen inde discessit. Si hæc distantia inveniatur,

tur, uti fieri solet, in partibus distantiæ mediæ solis a terra assumptæ pro unitate, & multiplicetur per ipsam tempus, quod lux impendit in suo cursu a sole ad terram, nimirum 8', 1; invenietur momentum ipsum ejus discessus. Invenietur locus verus heliocentricus pro eo momento, ex quo loco, & positione heliocentrica terræ pro momento, quo ipsa appellit ad T', invenietur per calculum usitatum in Astronomia directio positionis geocentricæ T'C, quæ comparata cum priore loco geocentrico exhibente directionem T'C' exhibebit angulum CT'C' quæsitum.

27. Verum ea determinatio esset admodum operosa, & nullius usus. Illa est multo utilior, & admodum expedita, quæ pro planetis, & cometis exhibet immediate aberrationem compositam C'T'E, de qua agemus in sequenti paragrapho.

§. IV.

De aberratione composita e præcedentibus binis simul conjunctis.

28. ABERRATIO composita e binis conjunctis pro casu, in quo motus absolutus verus tam terræ, quam objecti, haberi possit pro rectilineo, & uniformi, non solum non auget complicationem, sed evadit simplicissimæ determinationis, quod sic demonstrabitur in fig. *6*. Sit orbita terræ AI, objecti CH utraque rectilinea, ac terra allapsa ad T' exceperit, ut prius, radium digressum ab objecto existente in C, & delatum per CDT'. Advenerit autem objectum ad C' eo momento, quo terra, & lumen appulerunt ad T': terra fuerit in A eo momento temporis, quo objectum, & particula luminis erant in C. Si concipiatur recta AC; ea erit parallela directioni, apparenti T'E. Erit enim ob motum uniformem lucis, & terræ T'T ad T'A, ut T'D ad T'C, nimirum ut DD' ad EC, adeoque ob rectam T'T = D'D erit & T'A = EC, quæ duæ rectæ postremæ cum sint etiam parallelæ, erunt itidem parallelæ T'E, AC.

29. Post aliquod tempus fiat nova observatio, per quam terra alla-

allapsa ad t' excipiat radium digressum ab eodem objecto allapso ad c, & delatū per rectam ct'. Eodem pacto ductâ ex c rectâ parallelâ rectæ tt', quæ lateri $t'd'$ producto occurrat in e, & ca ad punctum a, ad quod devenerat terra eo momento, quo objectum advenit ad c, erit $t'e$ directio apparens, & recta ac ipsi parallela. Si compleatur parallelogrammum $ET't'C''$, directione $T'E$ translata motu parallelo cum terra in $t'C''$; motus apparens respectivus respectu telluris, fiet per angulum $C''t'e$, tanquam si tellure immota, objectum percurrisset rectam $C''e$.

30. Quod si hæc concipiatur producta usque ad concursum cum via objecti CH in c'; id punctum erit locus objecti ipsius in ea via momento secundæ observationis, quo terra appulit ad t'. Sunt enim similia triangula cec', CEC', adeoque est $ce = at' : cc' :: CE = AT' : CC'$. Cum igitur tempore, quo terra abiit per AT', objectum abierit per CC'; tempore, quo illa abiit per at', quo nimirum lux devenit per ct', objectum debuit abire per cc', & punctum c' erit locus verus objecti eo momento, quo terra delata ad t' ipsum videt in e. Porro $C''e$ fuit motus respectivus debitus tempori a prima observatione ad secundam, qui determinat motum apparentem angularem respondentem ei tempori, & ec' est recta, quæ determinat angulum aberrationis pro momento observationis secundæ, ac si ii anguli sint exigui considerari poterunt, ut proportionales iis rectis.

31. Quoniam vero objectum erat in C' momento primæ observationis, & in c' momento secundæ; motus verus objecti respondens intervallo temporis elapsi inter binas observationes erit $C'c'$: erat autem cc' motus ipsius respondens tempori, quod lux impendit in percurrenda distantia ct'. Quare ea tempora erunt ut lineæ $C'c'$, cc'. Si intervallum temporis inter eas observationes non fuerit nimis longum; distantiæ $t'c$, $T'C$ parum admodum differunt inter se, adeoque & rectæ CC', cc', quæ sunt motus veri objecti respondentes motui luminis per eas distantias, assumi poterunt pro æqualibus. Hinc assumi poterit Cc pro $C'c'$, & erit motus apparens $C''e$ ad aberrationem ec' compositam e binis ce, cc', ut Cc assumpta pro $C'c'$ ad cc', nimirum ut tempus inter

duas

duas observationes ad tempus, quod lux impendit in deveniendo ab objecto ad terram.

32. Id tempus, ubi agitur de planetis, & cometis conspicuis, est exiguum, & observationes pro motu apparente possunt fieri binis temporibus parum remotis a tempore ejus observationis, pro qua quæritur aberratio: adeoque potest tuto pro hoc effectu assumi motus ipsorum, & terræ eo tempore pro uniformi, adeoque ipsis convenit hæc theoria, & pro ipsis habebitur hoc egregium theorema: *aberratio pro planetis, & cometis composita e binis generibus expositis simul conjunctis, jacet in directione eadem cum motu apparenti, & est ejus pars respondens tempori, quo lux devenit ab eo objecto ad terram.*

33. Hinc habitâ quantitate motus apparentis, qui convenit dato intervallo temporis satis proximo illi momento, pro cujus observatione quæritur effectus aberrationis corrigendus, ut locus apparens reducatur ad locum verum, & habitâ distantia objecti ab oculo, adhibendæ sunt binæ proportiones, altera pro habendo intervallo temporis, quo lux devenit ab objecto ad oculum, altera pro habenda parte motus apparentis, qui convenit huic intervallo, e quibus obtinetur valor simplicissimus pro habenda hac parte. Distantia in partibus distantiæ mediæ terræ a sole factæ $= 1$ dicatur d, intervallum temporis, cui respondet motus apparens qui dicatur u, redactum ad minuta sit t, tempus, quo lux devenit ab objecto ad oculum, erit $8',1d$ (num. 25), tum aberratio angularis $\frac{8',1du}{t}$. Hæc fiet in directione ipsius motus apparentis, qui si reducatur ad motum in longitudinem, latitudinem, ascensionem rectam, declinationem, adhibito valore u pro quovis ex hisce motibus, habebitur aberratio in longitudinem, latitudinem, ascensionem rectam, declinationem addenda cuivis ex hisce positionibus, prout motus u illam auxerit, vel imminuerit.

34. Quoniam pro planetis, & cometis particula motus apparentis absoluti est perquam exigua ob brevitatem temporis, quo lumen devenit ad oculum; satis est habere determinationem distantiæ factam modo utcumque crasso: pro planetis satis est assume-

sumere illam, quæ eruitur e tabulis, quæ erit multo magis proxima veræ, quam necessarium sit ad hunc usum, & pro cometis illam, quæ obtinetur etiam e methodo graphica exposita in Opusculo I Tomi III. Distantia a terra Saturni omnium remotissimi e veteribus planetis non est nisi 10,5, ubi is abit post solem, hinc tempus ipsi respondens non est nisi $10,5 \times 8',1 = 85'$: motus ipsius geocentricus in ea conjunctione superiore cum sole pro die integro, nimirum pro minutis $60 \times 24 = 1440$ est circiter minutorum 7 parum admodum mutatus a mutata celeritate Saturni, & terræ, adeoque motus apparens pro minutis 85 est circiter $= \frac{85 \times 420''}{1440} = 25''$. Distantia novi planetæ duplo major exigit pro adventu luminis tempus duplo majus, sed motus heliocentricus reducendus ad geocentricum minuitur multo magis a tempore periodico fere triplo longiore, quam augeatur pars motus apparentis ab intervallo temporis, quod impenditur a luce in suo motu non nisi duplo longiore.

35. Pro planetis propioribus velocitas motus heliocentrici augetur, sed distantia minuitur cum tempore, quod respondet motui luminis. Pro cometis, qui nunquam apparent in distantia a terra tripla distantiæ hujus a sole, id tempus nunquam abit ad 24'. Cum ii habent eam distantiam a terra, non possunt habere distantiam a sole minorem duplâ distantiâ hujus ab ipso, in qua habent velocitatem æqualem velocitati terræ. Si hic motus sit perpendicularis radio vectori, quod non accidit, nisi in perihelio, & contrarius motui terræ; duplicandus erit ab hoc illuc translato ad habendum motum apparentem nobis hinc spectantibus, & ob distantiam ipsius a nobis triplam distantiæ nostræ a sole inducet motum apparentem subtriplum dupli motus heliocentrici terræ: cum hic pro die integro sit gradus unius, is esset $= \frac{2}{3} \times 60' = 40'$, adeoque pro minutis temporis 24 esset $= \frac{24 \times 40'}{24 \times 60} = 40''$ exhibens aberrationem usque adeo exiguam. Habitus est aliquando motus apparens cometæ uno die major etiam gradibus 50, sed id non accidit nisi ob ejus transitum in ingenti vicinia

respectu terræ, in qua ita minuitur tempus debitum motui luminis, ut pars ejus motus apparentis cometæ respondens tempori tam brevi sit semper admodum exigua, ex quibus omnibus constat, satis esse pro æstimando eo tempore habere determinationem distantiæ per solam etiam graphicam operationem.

36. Pro motu apparenti u, qui respondet intervallo temporis t, fere semper poterit assumi is, qui convenit intervallo cuivis non nimis magno, nec nimis remoto a momento observationis corrigendæ, quia motus apparens tempore non nimis longo solet esse quamproxime æquabilis. Si habetur in eo inæqualitas aliquanto major; poterit is desumi a binis observationibus factis ante, & post illam, cujus aberratio quæritur: tum enim ejus quantitas adhibenda pro u respondebit accuratius illi, quæ convenit tempori observationis corrigendæ. Verum illud apprime notandum est, regulam traditam non habere locum, nisi motus apparens eruatur directe e binis locis observatis, vel reducatur ad eum, qui ita esset observatus. Necessario is erit observandus immediate pro cometis ante determinationem satis accuratam ipsorum theoriæ: pro planetis, si corrigenda sit observatio exhibens locum apparentem, quin habeatur alia, ex qua comparata cum illa eruatur motus apparens, oportebit ope tabularum eruere locum, qui debet esse apparens pro alio quovis momento. Ad eum obtinendum oportet earum ope invenire locum verum heliocentricum non pro momento, quod assumitur, præter illud, cujus observatio est adhibenda, quo nimirum planeta est in puncto C', sed pro anteriore per intervallum temporis, quo lux devenit ab objecto ad terram, quo momento id est in C: hìc locus heliocentricus reducendus est ad geocentricum, quæ reductio exhibebit directionem T'C, & corrigendus per aberrationem primi generis CT'E, quæ correctio exhibebit directionem T'E, sive t'C'', & ea comparata cum directione $t'e$ dabit motum $C''t'e = u$.

37. Si directio apparens $t'e$ inveniatur per comparationem cum aliqua fixa; debet locus hujus apparens corrigi per aberrationem primi generis, ut reducatur ad verum, quem ea fixa obtineret in

in superficie sphæræ cælestis, ita enim obtinebitur punctum sphæræ ejusdem, ad quod tendit directio *t'e* apparens, quæ comparari possit cum directione T'E determinata eodem modo per comparationem cum fixa quapiam, ut habeatur motus apparens C''*t'e* adhibendus in regula proposita: verum si utraque comparatio fiat cum eadem fixa, vel cum fixis proximis, pro quibus aberratio primi generis erit ejusdem ad sensum & magnitudinis, & directionis; ad habendam directionem, & magnitudinem motus apparentis omitti poterit ea applicatio ejus aberrationis primi generis ad reducenda bina loca fixæ; nam ea omissio retrahet tantummodo rectam C''*e* versus *e*C per intervallum æquale rectæ *ec*, conservatâ ipsius & directione, & magnitudine.

38. Quoniam pro objectis terrestribus immotis respectu terræ motus apparens est nullus; pars ejus esset nulla etiam si via radii ab objecto ad oculum esset longitudinis ingentis: sed accedit etiam brevitas itineris fere momentanei. Verum facile eruitur etiam immediate defectus aberrationis compositæ ejusmodi objectorum e sola consideratione figuræ *6*: motus annuus objecti CC' est parallelus, & æqualis motui AT': hinc punctum C' abit in E, & oculus adveniens ad T', videt objectum delatum ad E per directionem T'E, quæ tendit ad ipsum. Videt ipsum per radium CT' digressum ab eo tum, cum id erat in C, sed ipsum videt per directionem T'E parallelam rectæ TD ita inclinatam ad radium T'C, ut incurrat in id punctum, ad quod objectum pervenit eodem momento, quo radius appellit ad oculum. Error secundi generis ortus ex motu objecti per CE corrigit errorem primi ortum ex inclinatione lineæ visualis T'E ad directionem T'C radii advenientis per CT'. Motus diurnus non est æqualis, si objectum non jacet in eodem parallelo cum oculo; sed discrimen nullam potest parere sensibilem aberrationem, dum totus integer diurnus motus in immensum major eo discrimine non parit ullam aberrationem, quæ sub sensum cadat, ut vidimus superius. Aberratio sensibilis haberetur in objecto terrestri spectato per tubum plenum aqua, uti diximus itidem superius, ob velocitatem lucis in tubo diversam a velocitate extra ipsum, qua fit,

ut inclinatio tubi debeat esse minor, vel major, si velocitas per aquam sit e contrario major, vel minor, quam velocitas per aerem: tubus dirigitur ad punctum positum in primo casu in recta CE inter C, & E, & in secundo ultra E, ex quo effectu combinato cum mutatione, quam subit directio tubi a motu diurno, oriuntur omnes illi motus apparentes, quos persecuti sumus in illo Opusculo Tomi II.

39. In luna aberratio primi generis orta e motu terræ annuo corrigitur, ut in objectis terrestribus, a motu lunæ ipsam comitantis. Motus ejus menstruus debet parere aberrationem secundi generis, sed ea evadit insensibilis ob immensam brevitatem temporis impensi in motu luminis per distantiam usque adeo exiguam. Distantia solis a terra e parallaxi horizontali $8''\frac{1}{2}$, eruitur semidiametrorum terrestrium paullo plus quam 24000, in qua lux impendit (num. 25) secunda 486: distantia media lunæ a terra est circiter earum semidiametrorum 60, adeoque tempus huic respondens est $\frac{60 \times 486}{24000} = \frac{486}{400}$, paullo longius uno secundo temporis: motus lunæ menstruus respondens ei tempusculo est minor uno secundo.

40. Stellis fixis theoria exposita applicari non potest: ipsarum distantia est tanta, ut non solum pro rectilineo assumi non possit motus terræ respondens tempori, quo lux inde ad terram pervenit, sed etiam respectu proximarum plures integras conversiones ipsa perficiat, & admodum credibile est, plura conversionum integrarum millia respondere ei tempori respectu plurimarum ex ipsis fixis. Fixæ censentur nullam habere annuam parallaxim. Paullo ante postremum Veneris transitum suborta fuerat suspicio de parallaxi annua Sirii, qui ob tantam vim luminis censetur omnium minime distans, assurgente ad 15 secunda: post observationes plurimas, & plures earum combinationes ea suspicio evanuit, & jam censetur ea parallaxis esse nulla. Si ea pro tota diametro orbis annui esset unius secundi, distantia Sirii contineret tot diametros orbis annui, quot secunda peripheriæ circuli continentur in radio, nimirum 206265: cum lux in percurrenda una e-

jus

jus semidiametro impendat minuta 8,1 ; in percurrenda ea distantia impenderet minuta 16,2 × 206265 = 3341493 , nimirum horas 55692 , sive dies 2320 , nimirum plus quam sex annos . Porro si fixæ telescopicæ idcirco tantum apparent usque adeo minores ; saltem earum aliquæ , quod licet æquales Sirio , sunt remotiores ipso in ratione subduplicata vis luminis ; aliquæ ex iis erunt etiam millecuplo magis remotæ , adeoque lumen impendet etiam sex annorum millia in percurrenda tam immani distantia . Possunt eo tempore habuisse motus ingentes nobis incognitos , & vero etiam a pluribus annorum millibus esse extinctæ , & adhuc nobis apparere per lumen , quod ante sex annorum millia ab ipsis adhuc existentibus fuerat emissum . Sic si noster hìc aer extenderetur usque ad lunam , & sonus per ipsum propagaretur sensibilis cum eadem velocitate quam habet hìc ; non deveniret huc e luna nisi circiter post 14 dies . Possemus audire hominem nos alloquentem , qui tamen jam a pluribus diebus fuisset mortuus .

41. Hinc ubi agitur de stellis fixis , nulla habetur ratio loci , quem reipsa obtinent tum , cum videntur . Pro loco ipsarum vero consideratur is , ad quem tenderet directio radii advenientis ad oculum , si nulla ipsum refractio detorqueret . Hinc pro reductione loci visi ad eum verum non adhibetur , nisi duplex correctio , ea , quæ respondet refractioni , & altera , quæ respondet aberrationi primi generis , quæ sola intelligitur , ubi nominatur aberratio respectu fixarum . Adduntur etiam aliæ reductiones , ut eæ , quæ pertinent ad præcessionem æquinoctiorum , & nutationem , sed eæ oriuntur a motu , quem habet axis æquatoris terrestris , & positio æquatoris ipsius , non ad substituendum locum verum loco apparenti .

OPU-

OPUSCULE XIV.

Démonstrations simples de quelques beaux théorèmes appartenants aux triangles.

1. Les théorèmes, qu'on démontre dans ce petit Opuscule, sont élémentaires, & très-connus. Ils appartiennent à la manière de trouver par les trois côtés donnés un angle quelconque, le rayon du cercle inscrit, & l'aire. Les démonstrations, qu'on en donne habituellement dans les ouvrages élémentaires, sont assez compliquées. Ayant trouvé une démonstration du premier théorème d'une très-grande simplicité, & d'une élégance extraordinaire, & telle, qu'avec la même figure, les mêmes mots elle s'applique au triangle plan, & sphérique, & voyant que les deux autres dans le triangle plan en découlent par eux-mêmes, & que pour l'aire du sphérique il y a une détermination également simple & élégante, je crois pouvoir proposer tout cela comme un objet très-utile aux rédacteurs des éléments, pour épargner aux jeunes élèves beaucoup de peine, & leur inspirer un certain goût de simplicité, de netteté, & d'élégance, qui doivent avoir lieu principalement dans les vérités élémentaires, par lesquelles on commence à développer ses idées, & l'on se fraye un chemin aux connoissances plus compliquées, & plus sublimes.

2. *Theor.* Dans un triangle BAD (Tab. X fig. 7) rectiligne, ou sphérique quelconque, si l'on ôte les deux côtés AB, AD quelconques de la demi-somme de tous les trois côtés l'un après l'autre, & que l'on appelle les deux restes M, N, & le rayon R, on aura la proportion suivante $R^2 : sin^2.\frac{1}{2}A :: AB \times AD : M \times N$, ou $:: sin.AB \times sin.AD : sin.M \times sin.N$.

3. Pour la démonstration, qu'on conçoive les angles ABD, ADB coupés en deux parties égales par les lignes droites, ou cir-

cu-

culaires BC, DC, & CE, CF, CG perpendiculaires aux trois côtés AB, AD, BD, comme aussi BI, DH perpendiculaires à la ligne AC prolongée. Il est assez évident, qu'on aura CE = CG = CF, que l'angle BAD sera aussi coupé en deux parties égales, & qu'on aura trois binaires des lignes égales AE, AF; BE, BG; DF, DG, & trois d'angles égaux ACE, ACF; BCE, BCG; DCF, DCG. C'est pourquoi, si l'on prend une ligne par binaire, on aura la demi-somme des trois côtés; & si l'on prend un angle par binaire, on aura la somme des deux droits, puisque la somme des trois premiers binaires est la somme des trois côtés, & la somme des trois derniers forme les quatre angles droits autour du point C.

4. On voit par-là, qu'un terme du binaire des lignes adjacentes à un angle sera l'excès de la demi-somme des trois côtés sur le côté opposé à cet angle, qui doit contenir un terme de chacun des deux autres binaires; & un terme du binaire des angles opposé à ce terme des lignes sera le supplément de la somme des deux appartenants chacun à un des deux autres binaires. Si on nomme D la demi-somme des trois côtés; on aura AE + BE + DG = D, & DG = D − AE − BE = D − AB = M, comme aussi AF + FD + BG = D, & BG = D − AD = N. On aura aussi ACE + BCE + DCG = 180°, & DCG sera le supplément de ACE + BCE, c'est-à-dire de ACB, & par-là = BCI, comme aussi BCG = 180° − ACF − DCF supplément de ACD sera = DCH.

5. Or par la proportion des côtés dans la Trigonométrie plane, & de leurs sinus dans la sphérique, avec les sinus des angles opposés, on aura la proportion entre DC, DG, DH, ou de leurs sinus, avec le rayon, & les sinus des DCG, DCH, & de même entre BC, BI, BG avec le rayon, & le sinus des BCI, BCG, qui sont égaux à DCG, DCH. Donc si dans le cas du triangle sphérique on exprime les sinus par leurs arcs; on aura la proportion suivante, DG : DH :: BI : BG, & BI×DH = BG×DG = MN. Or aussi R : *sin.*BAI = $\frac{1}{2}$BAD :: AB : BI, & R : *sin.*DAH = $\frac{1}{2}$BAD :: AD : DH. Donc R^2 :

*sin*².

$sin^2.\frac{1}{2}BAD :: AB \times AD : BI \times DH = MN$, d'où l'on tire $sin^2.\frac{1}{2}BAD = \frac{MNR^2}{AB \times AD}$, où en faisant $R = 1$ on a $sin^2.\frac{1}{2}BAD = \frac{MN}{AB \times AD}$.

6. Cor. 1. Si l'on fait le rayon $R = 1$, on aura $log.sin.\frac{1}{2}BAD = \frac{1}{2}(log.M + log.N + compl.log.AB + compl.log.AD)$, ce qui rend le calcul assez court.

7. Cor. 2. Si l'on fait $D - BD = P$; on aura (num. 4) $AE = AF = P$, & comme on a aussi $DG = DF = M$, $BG = BE = N$, on aura $BD = M + N$, $D = P + BD = P + M + N$, $AD = AF + DF = P + M$, $AB = AE + BE = P + N$. De là on tire $AD \times AB = (P + M) \times (P + N) = P^2 + PM + PN + MN = P(P + M + N) + MN = PD + MN$; & puisque on a cette proportion, $AC^2 : CF^2 :: R^2 : sin^2.CAF = sin^2.\frac{1}{2}BAD$; on aura cette autre (num. 5) $PD + MN : MN :: AC^2 : CF^2 ::$ (dans le triangle plan) $AF^2 + CF^2 : CF^2 :: \frac{AF^2}{CF^2} + 1 : 1$; d'où l'on tire $PD + MN = MN \times (\frac{AF^2}{CF^2} + 1) = \frac{MN \times AF^2}{CF^2} + MN$, & ôtant MN, & mettant P pour AF, on aura $PD = \frac{MNP^2}{CF^2}$, & à la fin $CF^2 = \frac{MNP}{D}$. Cela donne pour le triangle plan ce beau théorème. *Si de la demi-somme des trois côtés on ôte les mêmes côtés, l'un après l'autre, & qu'on divise le produit des trois restes par la dite demi-somme; on aura le quarré du rayon du cercle inscrit.*

8. *Cor.* 3. Dans le triangle sphérique on a par les formules connues $tan.CF = sin.AF \times tan.CAF = sin.P \times tan.CAF$, ou $cot.CF = \frac{cot.CAF}{sin.P}$, $cot^2.CF = \frac{cot^2.CAF}{sin^2.P}$. Par la nature des sinus on a $cot^2. = \frac{cos^2.}{sin^2.} = \frac{1 - sin^2.}{sin^2.} = \frac{1}{sin^2.} - 1$, d'où l'on tire $\frac{1}{sin^2.CF} - 1 = \frac{1}{sin^2.P \times sin^2.CAF} - \frac{1}{sin^2.P}$, & $\frac{1}{sin^2.CF} = \frac{1}{sin^2.P \times sin^2.CAF} - 1$

$-\frac{1}{sin^2.P}+1=\frac{sin.AB\times sin.AD}{sin^2.P\,sin.M\,sin.N}-\frac{1}{sin^2.P}+1$, puisque l'angle CAF est $=\frac{1}{2}$BAD, & $sin^2.\frac{1}{2}$BAD est $=\frac{MN}{AB\times AD}$ (num.5).

9. Par cette formule on trouve le sinus de CF, qui est le rayon du cercle inscrit dans un triangle sphérique. Elle est beaucoup plus compliquée, que la précédente, qui appartient au triangle rectiligne; mais je crois, qu'on ne peut pas la simplifier beaucoup plus. On peut bien en déduire cette précédente, en substituant les côtés aux sinus, qui s'y confondent, quand le rayon de la sphère devient infini; mais alors dans la valeur de $\frac{1}{sin^2.CF}$ le dernier 1 doit disparoître devenant infiniment plus petit, que les autres termes, qui pour l'homogénéité doivent être multipliés par le quarré du rayon infini. Alors on aura $\frac{1}{CF^2}=\frac{AB\times AD}{P^2MN}-\frac{1}{P^2}=$ (num.7) $\frac{PD+MN}{P^2MN}-\frac{1}{P^2}=\frac{PD}{P^2MN}+\frac{MN}{P^2MN}-\frac{1}{P^2}$, & comme $\frac{MN}{P^2MN}-\frac{1}{P^2}$ est $=\frac{1}{P^2}-\frac{1}{P^2}=0$, on aura $\frac{1}{CF^2}=\frac{PD}{P^2MN}$, & $CF^2=\frac{MNP}{D}$ comme au num.7.

10. Mais on trouvera plus aisément la valeur de ce rayon pour le triangle sphérique, en trouvant l'angle CAF $=\frac{1}{2}$BAD par la formule du num. 5, qui en mettant les sinus pour les arcs devient $sin^2.CAF=\frac{sin.M\,sin.N}{sin.AB\times sin.AD}$, & l'arc CF par la formule $tan.CF=sin.AF\times tan.CAF=sin.P\times tan.CAF$; & en prenant le sinus de cet arc.

11. *Cor.* 4. L'aire du triangle plan BAD $=$ ACD $+$ ACB $+$ BCD sera la demi-somme des trois côtés AD, AB, BD multipliés par la hauteur CF $=$ CE $=$ CG : ainsi son quarré sera $=D^2\times CF^2=D^2\times\frac{MNP}{D}=$ DMNP; & par-là cet autre beau théorème: *le quarré de l'aire d'un triangle plan quelconque est égal au*

produit de la demi-somme des trois côtés par les trois excès de la même demi-somme sur les mêmes côtés.

12. *Schol.* Il y a une détermination aussi très-simple & très-élégante de l'aire du triangle sphérique, mais elle exige une marche très-différente pour la trouver, & la démontrer. Les méthodes, qu'on y employe ordinairement sont assez compliquées, & sublimes. En voila une bien simple & facile (*). Elle suppose peu de choses du côté des éléments de la sphère, & la première idée de l'intégration des termes les plus simples.

13. Soit (fig. 8) C le centre d'une sphère, AB un axe, D*d*E un cercle du pôle A, qui aura le centre dans l'intersection I de l'axe AB avec son plan, & rencontrera en D, *d* deux demi-cercles ADB, A*d*B, qui ont le diamètre commun AB. Si l'on fait le rayon de la sphère $= 1$, la demi-circonférence du grand cercle $= c$, l'arc AD $= z$, l'angle DA*d* $= a$; on sait, que la surface du grand cercle sera $= c$, la surface de toute la sphère $= 4c$, & que comme AB $= 2$ est à AI $=$ CA $-$ CI $= 1 - \cos.z$, ainsi la surface totale $4c$ est à la surface du segment DAE*d*, qui restera $= 2c - 2c\cos.z$: de même comme quatre angles droits $= 2c$ sont à l'angle DA*d* $= a$, ainsi cette surface $= 2c - 2c\cos.z$ est à l'aire DA*d* $= a - a\cos.z$.

14. Soit à présent (fig. 9) BAD un triangle sphérique, dont le côté BD soit augmenté de la quantité D*d* infiniment petite : DA*d* sera la différence de l'aire. Si on fait l'angle BAD $= p$, BDA $= q$, ABD $= r$, le côté AD $= z$, l'aire BAD $= x$; on aura l'angle DA*d* $= dp$, & l'aire DA*d* $= dx = dp - dp\cos.z$ par le numéro précédent. Que l'on conçoive l'arc DB continué en G du côté de B, & du côté de D jusqu'à la continuation de l'arc DA en F, & que l'angle F*d*E soit égal à l'angle F le point E étant sur l'arc DAF.

15. On sait, que DAF, D*d*F doivent être deux demi-cercles, & com-

(*) On a cette même détermination, trouvée par un procédé bien différent dans l'Opuscule XV du Tome IV sans aucune forme d'intégration, & démontrée avec toute la rigueur géométrique, en faisant voir, que d'avoir négligé des quantités infiniment petites n'y produit aucune erreur pas infiniment petite.

& comme la différence des arcs DE, dE doit être moindre de la Dd infiniment petite, on pourra regarder les arcs DE, EF comme égaux, c'est-à-dire comme un quart de cercle chacun, & AE comme complément de AD. L'angle EDF doit être = EFD = FdE, & BDE, BdE leurs suppléments aussi égaux. Donc AdE sera la diminution de l'angle BDA devenu BdA, si DA est moindre de 90°, dans lequel cas son co-sinus est positif, & pour cela le même AdE sera = $-dq$. Or prenant les angles infiniment petits pour leurs sinus, on aura la proportion suivante, *sin.*Ed = 1 : *sin.*AE = *cos.*AD = *cos.z* :: *sin.*EAd = *sin.*DAd = dp : *sin.*AdE = $-dq$ = $dp\,cos.z$. Donc $dq = -dp\,cos.z$, & dx, qui étoit = $dp - dp\,cos.z$, sera = $dp + dq$. L'intégration donnera $x = p + q + m$, la valeur m étant une constante, qu'on détermine très-aisément de la manière suivante.

16. L'angle GBA est = 180° − ABD = 180° − r : la valeur x de l'aire BAD doit s'évanouir, quand le point D va en B. Or alors BAD = p devient = 0, & BDA = q devient GBA = 180° − r. Donc 180° − $r + m$ = 0, & $m = r$ − 180°: ainsi la valeur x de l'aire cherchée, qui étoit = $p + q + m$ sera = $p + q + r$ − 180°, d'où l'on tire ce beau théorème. *L'aire d'un triangle sphérique est égale à l'excès de ces trois angles sur* 180 *degrés*.

17. Cette expression porte l'égalité de cette aire avec un rectangle du rayon de la sphère, que nous avons pris pour unité, & d'un arc du grand cercle, qui mesure cet angle. Pour cela *elle sera égale à un secteur du grand cercle qui aura l'angle double de cet excès*. On pourra aussi énoncer ce beau théorème, en disant, *la surface de la sphère est à l'aire d'un triangle sphérique comme quatre angles droits sont à l'excès de ses trois angles sur deux droits*. Toutes ces expressions reviennent au même.

18. Dans le triangle plan ce sont les trois côtés, qui déterminent l'aire, dans le sphérique les trois angles. Mais comme les trois angles sont déterminés par les trois côtés; on peut dire, qu'ici aussi les trois côtés déterminent l'aire comme dans le triangle plan.

EXTRAIT

DU TOME V.

1. CE dernier Volume contient quatorze Opuscules, dont les sujets ou appartiennent directement à l'Astronomie, ou y ont du rapport, comme le dernier, qui appartient directement à la Trigonométrie plane, & sphérique, dont on fait un usage continuel dans l'Astronomie. Les quatre premiers occupent plus de trois quarts du total, les autres étant tous très-courts.

§. I.

Du premier Opuscule.

2. L'OBJET de ce premier Opuscule est la disparition & apparition de l'anneau de Saturne. Cet anneau est circulaire bien grand, plat, & mince, détaché du globe de la planète de manière que de quatre parties du demi-diamètre de celui-ci l'intervalle vide en contient $2\frac{1}{2}$, & la largeur de l'anneau autant. Il est éclairé par le soleil, comme le globe, mais on ne le voit jamais, que sous une forme elliptique à cause de l'obliquité de sa position par rapport à la terre. La différence de la position de la terre par rapport à son plan rend cette forme plus ou moins rétrécie : elle devient presqu'une simple ligne droite, quand son plan passe par la terre, & alors il disparoît, son épaisseur n'étant pas sensible : il disparoît aussi, quand ce plan est tourné vers le soleil, qui n'éclaire alors sensiblement sa surface plate, & ces sont des positions momentanées. On ne le voit pas aussi quand son plan passe entre le soleil, & la terre, la surface éclairée n'étant tournée alors vers celle-ci. On voit seulement une partie de la surface obscure projetée comme une ombre sur le disque de la planète. Cette position dure quelque temps : la disparition commen-

mence toujours & finit par une des deux positions précédentes, & il s'agit de déterminer les moments de la disparition, & de la nouvelle apparition.

3. M.r de-Sejour a traité ce sujet en grand Analyste, en y employant le grand calcul, & il a donné la solution des problêmes, qui y appartiennent, en appliquant encore le calcul numérique aux grandes formules avec un travail immense. Je me suis aperçu, qu'on pouvoit avoir tout beaucoup plus aisément à l'aide de la courbe des sinus, qui donne par sa construction très-aisée les valeurs qu'on cherche peu éloignées des véritables, &. on les réduit à l'exactitude par la méthode de la fausse position, qui rend presque toujours la détermination des valeurs cherchées incomparablement plus facile, & qu'on peut employer toujours avec succès, quand on a le moyen de trouver ces valeurs par une construction géométrique, qui les détermine par un à-peu-près. Je n'ai pas divisé cet Opuscule en des paragraphes, comme presque tous les autres; mais en plusieurs problêmes, dont j'ai donné la solution, en y ajoutant des corollaires, & des scholies, avec un Appendice à la fin. Je m'étendrai un peu plus dans cet extrait sur les propriétés de la ligne des sinus en ne faisant, qu'indiquer le reste.

4. La solution du premier problême donne la construction de cette ligne par des points dépendamment du rapport de la circonférence du cercle au rayon, qui par une très-grande approximation est, comme on sait, celui de 355 à 113 : dans onze corollaires, avec trois scholies on a plusieurs propriétés de cette courbe, principalement celles, qui doivent servir pour déterminer les temps des apparitions, & disparitions de l'anneau de Saturne, avec quelque usage de la même courbe, & dans le dernier scholie on indique la manière d'appliquer ces propriétés à la recherche de ce qui est l'objet de cet Opuscule. Dans l'Appendice qui se trouve à la fin du même Opuscule on a une espèce de complément de la théorie de la même ligne.

5. On a la construction de la courbe dans les figures 1, & 2 de la planche 1. Dans la première on a un cercle, avec son diamètre

mètre ACB, & la circonférence ADBD'A, qu'on divisera par une bissection continuelle en un nombre de parties pas trop petit, & on tirera de chaque division le sinus perpendiculaire à ce diamètre comme FE : à la fig. 2 on prendra les lignes droites AB, BA', qui soient au rayon AC, comme 355 à 113, & on les divisera en autant de parties : par chaque division on tirera une ligne perpendiculaire à la ligne ABA' égale au sinus correspondant de la fig. 1, & dans la même direction comme les EF, E''F'', E'''F''', E'F' de la fig. 2 aux EF, E'F'', E'F''', EF' de la fig. 1. On dessinera par tous les sommets F de ces lignes à la main une ligne continue, qui sera la ligne des sinus cherchée : elle sera une ligne courbe, qui aura deux arcs, un supérieur ADB, l'autre inférieur BD'A', qui répondront aux deux demi-cercles ADB, BD'A de la fig. 1, & auront sur l'axe ABA' les bases AB, BA' égales aux demi-circonférences appartenantes à ces demi-cercles : j'appelle chacun de ceux-là un arc demi-circulaire.

6. Comme on peut continuer dans la fig. 1 le mouvement sur la circonférence dans la même direction, & dans l'opposée à l'infini, ainsi on peut continuer dans la fig. 2 les bases d'un côté, & d'autre avec leurs arcs à l'infini, qui seront tous égaux entr'eux : par-là en faisant la délinéation d'un de ces arcs en gros papier, & le coupant, on peut s'en servir, comme d'un modèle pour en dessiner autant qu'on veut, & même il suffit pour cet objet d'en avoir la moitié d'une qui transportée, & tournée à propos donneroit toute la continuation autant qu'un en voudroit : on voit quatre de ces arcs à la fig. 6, qui répondent à deux cercles, & tous ceux de cette planche ont été dessinés avec justesse : on en a indiqué dix aux figures 8, 9, 10, 11 (planche II), mais pour ne pas trop allonger ces figures on les a rétréci en y substituant des demi-cercles.

7. Dans les corollaires, & scholies on fait voir, qu'à l'aide de cette courbe déjà dessinée on peut trouver le sinus d'un arc du cercle égal à une ligne droite donnée, & une ligne droite égale à l'arc qui répond à un sinus donné, ou égale à un arc, dont on a les deux points extrêmes, par où on a non seulement la trisection d'un

d'un arc ainsi donné, & par-là d'un angle donné, mais on peut le diviser en un nombre de parties égales donné quelconque, & aussi en une raison donnée quelconque, même irrationnelle. On démontre, que la sous-tangente de la ligne des sinus est égale à la tangente du cercle dans les points correspondants, comme la ET de la fig. 2 à la FT de la fig. 1, & cette propriété est essentielle pour l'objet de cet Opuscule: il s'ensuit, que la sous-tangente ET (fig. 2) de la ligne des sinus est plus grande, que l'abscisse AE, la distance AT de la tangente au premier point de la base étant égale à l'excès de la tangente de l'arc du cercle, qui répond au sinus FE, sur le même arc.

8. Non seulement par cette propriété de la sous-tangente on pourra tirer la tangente par un point de la courbe donné quelconque, mais on pourra tirer une tangente telle, que la sous-tangente ET ait une raison donnée à l'ordonnée EF: pourtant on voit que le premier terme de cette raison ne doit pas être plus petit que le second. La raison donnée détermine l'angle, que la tangente contient avec l'axe, qui à cause de l'excès nécessaire de chaque sous-tangente sur l'ordonnée ne peut jamais être plus grand qu'un demi-droit: il lui sera égal celui d'une tangente tirée par le point premier, ou dernier d'un arc demi-circulaire, où la sous-tangente s'évanouit avec l'ordonnée. Il y a une construction simple au corollaire 9 pour déterminer la tangente, qui aura cette raison donnée de la sous-tangente à l'ordonnée, c'est-à-dire son angle donné avec l'axe, & une formule pour la déterminer par un calcul numérique, & cette détermination est essentielle pour l'objet de cet Opuscule.

9. Dans chaque arc demi-circulaire il y aura deux tangentes, qui contiendront avec l'axe un angle égal à un quelconque moindre d'un demi-droit, mais tournées vers les parties opposées, comme dans la fig. 2 les FT, F‴T‴: il y en aura deux dans chaque supérieur comme celles-là, & deux dans chaque inférieur comme F'T', F⁗T⁗, & chacune d'un des deux sera parallèle à une d'un autre, comme FT à F'T', & F‴T‴ à F⁗T⁗. Seulement quand la sous-tangente sera infinie, & l'angle zero, n'y aura qu'

une

une seule tangente pour chaque arc demi-circulaire, qui le touchera dans son sommet D, ou D', la tangente devenant parallèle à l'axe, & celle-là touchera tous les autres arcs demi-circulaires, qui se trouveront du même côté par rapport à l'axe dans leur sommet.

